

Martin Lange

Martini Lange Corona-Transylvani De Ophthalmia Commentatio Medico-Chirurgica

[Vienna?]: Typis Tyrnaviensibus, 1777

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727993152>

Druck Freier  Zugang




HSt
VI

24



-6-

HSt VII
24



MARTINI LANGE

CORONA-TRANSYLVANI

DE

OPHTHALMIA

COMMENTATIO

MEDICO-CHIRURGICA



TYPIS TYRNAVIENSIBUS,

ANNO 1777.

HENNEMANNSCHE
STIFTUNG

*Rationalis quidem medicina esse de-
bet; instrui vero ab evidentibus
caussis; obscuris omnibus, non a
cogitatione artificis, sed ab arte
ipsa rejectis.*

CELSUS.



DE
OPHTHALMIA IN GENERE,
ET IN SPECIE.

§. I. *Notio Ophthalmiæ*

Characteres notionem Ophthalmiæ a) ingredientibus recte pensanti facile elucebit, quod Ophthalmia sit *præternaturalis oculi rubor, tumor, & dolor cum febre*. Hos morbi characteres fusius evolvam ac speciatim enucleabo.

A 2

Com-

a) Causam denominationis Ophthalmiæ vide apud BOERHAAVIUM in libello de morbis oculorum, Götting. 1750. p. 21.



Commentaturo itaque in Ophthalmiæ
notionem, ejusque diversa symptomata, sit mi-
hi in ordine dicendorum primus præternatu-
ralis oculi *rubor*, utpote qui ex essentia morbi
primus derivari possit, oculisque jam jam
præ aliis characteribus percipiatur, ille inquam
character, quem a congestione sanguinis ver-
sus oculum nimia, expansione vasorum præ-
ternaturali, & quod interdum in gravi Che-
mosi succedit, ex sanguinis extravasatione
in telam cellulosam produci credas.

Ruborem excipit *tumor* effectus conges-
tionis, & repletionis humorum in oculo seu
inflammationis, differens prouti rubor secun-
dum febris & morbi gravitatem vel levita-
tem, ita ut in taraxi sit modicus vel nullus,
in chemosi vero ad magnitudinem non nun-
quam horrendam excrescat, cujus sententiæ
exemplum habet GENDRON *a*), ubi in puero
bulbum oculi per œdema tunicæ conjuncti-
væ ex Cacochymia serophulosa oriundum ad
ovi gallinæ magnitudinem extensum vidit.
Hoc tumore distenduntur omnino vasa, fibræ
spasticè oscillant, tenduntur, atque nervi in
bulbo oculi copiosissimi in tam sensibili loco
cito sat valide irritantur, unde *doloris* idea
facile sequitur, cujus differentiæ sequentes
præ-

a) GENDRON des maladies des Yeux a Paris 1770.
T. II. p. 28.



præcipue notatu dignæ sunt: levissimus nempe est pruritus, alter exprimitur sensu ac si quidquam alieni, ut arenæ oculo inspersum fuerit, gravior manifestatur singulari dolore gravativo in ossibus frontis supra bulbum oculi, inque dolore gravissimo queruntur ægri affectionem, ac si minor apparens orbita diametro bulbi majori vix responderet, seu quasi ex orbita protruderetur bulbus. Notandum ad hæc est, dolorem annotante cel. RICHTER a) nocte augeri, die minui.

Febrem modo se habere leviolem modo graviorem, prout causam agnoscit leviolem vel graviorem morbus, experientia confirmavit, duplicem præsertim existere compertum est b), quarum prior ophthalmiam præcedit, ortum ducit a stimulo in vel externo, ad tertium diem gradatim augetur, & ad eundem usque terminum cum singulis suis symptomatibus ophthalmiam plerumque producit; Interim non constanter semper tertio die adest ophthalmia, sæpe enim prius apparet, interdum tarde a stimulo illato sequitur, viditque cel. RICHTER septimo tantum die post cataractæ operationem succedere inflammationem.

A 3

Alte-

a) Richter von der Ausziehung des grauen Staars
Götting. 1773. p. 165.

b) RICHTER l. c. p. 150.



Altera febris continua inflammatoria ophthalmiæ est effectus, ipsam comitatur, eoque gravior decurrit, quo vehementior fuerit dolor, prior febris & alia nervorum symptomata.

Adest vero nonnunquam tertia febris remittentis multum naturæ a Pathologis accessoria dicta ortum ex saburra primarum viarum ducens, sequentibus singularibus symptomatibus stipata: gravis nempe ibi febris observatur, ubi inflammatio mitis, perdurat cessante inflammatione, remittit valde a), signaque saburra primarum viarum habet.

§. II. *Non existere definitionem Ophthalmiæ logicam ostenditur.*

Verum enimvero, quod tam sæpe in medicina dolendum est, non constantes semper sunt hujus notionis characteres, neque ex ipsis erui definitio logica potest, sæpe enim modo hunc modo alterum notionem ingredientem characterem deficere in praxi experieris; ita

I. *Rubor* non est in inflammatione rheumatica seu serosa, nec hærente sede morbi in partibus absconditis, quæ sunt interna

a) Quod omnes valde remittentes febres biliosæ sint originis jam longe a Practicis animadversum est.

na palpebrarum tunica, iris, & choroidea, nec in aliqua ophthalmia venerea a gonorrhæa suppressa specie.

2. In taraxi & phlegmone abest etiam tumor.

3. Pariter non nunquam ab omni dolore immunes esse ægros variis Auctorum auctoritatibus comprobatum est, confirmat enim cel: GENDRON a) nonnunquam oculos valde inflammatos & rubros absque ullo dolore se vidisse, idque ex ruptis vasis sanguineis conjunctivæ, sanguineque in contextum cellulofum effuso derivat, cel: RICHTER b) modo corneam solam modo totum oculum inflammatum sæpissime sine dolore observavit, atque cel: JANINUS c) hypopium periodicum cum ophthalmia, in qua conjunctiva valde inflammata erat, dolore omni carere expertus est. In cujus phænomeni causam ipsam si inquiretur, quærenda esse videtur modo in insensibilitate ægri, habituales enim ophthalmia sine dolore sunt, & ipsas frequentes esse, ubi ex debilitate ortæ fuerint

A 4

a) GENDRON l. c. T. II. p. 5.
b) RICHTER Chirurgische Bibliothek T. I. 4tes Stück p. 133.
c) JANIN observations sur l'ocil a Lyon & a Paris 1772.



sint (& debilitate irritabilitatem destrui quis nescit?) contendit cl: THEDEN a), modo in eo, quod forte dolor ex relatione definiatur, in decursu enim Ophthalmias non tam dolorificas ac initio se animadvertisse ait cel: RICHTER.

4. *Complures* tandem occurrere Ophthalmias sine febre præsertim taraxin, nemo est qui dubitare poterit, ejusque ratio verisimilis cum cl: THEDEN b) in eo quærenda videtur, quod Ophthalmiæ illæ debilitati ortum debeant c).

Interim sciendum etiam est has deceptions nempe inconstantiam characterum notionem Ophthalmiæ ingredientium bene adnotante cl. SELLE d) in febribus ex bile & putredine ortis frequentiores esse, quam in morbis vere inflammatoris.

§. III.

a) THEDEN neue Bemerkungen, und Erfahrungen. T. I. p. 191. Berlin, und Stettin 1776.

b) THEDEN l. c.

c) Ita vidi ego duos fratres a levissima causa Ophthalmia angulari sine ulla functionum læsione laborantes.

d) SELLE rudimenta Pyretologiæ methodicæ 1773. Berol. p. 108.



§. III. *Uterior inflammationis oculi evolutio, Quomodo fiat? in quo consistat?*

Disquirenti mihi nunc in modum propiorem, qua ratione ex causis mox enarrandis oculus præternaturali illo phænomeno, quod inflammatio audit, afficiatur, & perpensis inter se variis theoriis in eam rem a doctissimis viris jam evulgatis, maxima probabilitate eorum partes, qui in oscillatione spastica ex stimulo quodam orto inflammationem quærunt, assumi, veroque propius explicari videtur inflammatio oculi per *plethoram partialem ad oculum cum tensione spastica fibrarum nervearum, & vehementi actione fibrarum irritabilium & febre topica*. Hanc hypothefin ulterius paucis explicabo: adeoque

Primum momentum est plethora partialis ad oculum. Ad eruendam eam superfedere possum recensenda argumentorum ferie, (tam quia hujus opusculi limites me brevem esse cogunt, quam quia nullis premitur difficultatibus demonstratio ejus) fatisque me fecisse credo, si lectores ad id attendendum potissimum invitarem, quid ex symptomatibus in oculo apparentibus ut pulsu celeriori, rubore, tumore nec non faciei colore rubescente pro hac thesi evinci queat,



immo interdum tanto impetu in Chemosi sanguis ad oculum vergit, ut in telam cellulofam ruat, ibique se accumulēt. Fit vero hæc congestio vel in vasa rubra vel lateralia seu lymphatica, quod phænomenon Pathologis dicitur error loci a BOERHAAVIO a) multum descriptus, conspicua enim nunc ibi vasa, in statu sano invisibilia, redduntur. Attamen recte monendum est non certe omnes Ophthalmias ex errore loci fieri, eumque non tam crebriorem esse ut multi credunt; multis enim in locis tam parvi sunt vasorum diametri, ut conspectum nostrum fugiant, congestione vero facta & illis dilatatis conspicua fiant; immo in statu sano microscopiis in sclerotica & conjunctiva multa videntur vasa, quæ ante ob diametri angustiam nudis oculis percipi non potuerant. Quare etiam cel. FERREIN b) se in albuginea infinite multa vasa armato oculo numerasse, adeoque rubedinem in Ophthalmia unice a præternaturali congestione ad oculum dependere ait, nec non cel. RICHTER in cataractæ operatione post incisionem in corneam solam sanguinem effluere vidit, quod alias solito non succedit.

Ten-

a) BOERHAAVE l. c. p. 33.

b) FERREIN Elemens de Chirurgie pratique T. I.
à Paris 1771.

Tensionem spasticam fibrarum nervearum vehementemque actionem fibrarum irritabilium illustrant dolor & irritabilitas aucta, ex qua in minori spasmō secretio augetur, in majori vero per totum impeditur, quodque ex summa tensione ac spastica vasorum clausione fieri verisimile videtur.

Et tandem quis studiosus morborum indagator dubitare poterit de *febris topicae* praesentia? pulsant in oculo arteriolae, quodque a solidorum oscillatione fluidorum motus dependeat solide demonstrare Physiologiam jam longe patet, pulsus est fortior, & celerior, secretio sapissime aucta, calor praeternaturalis vehemens urget, hisque addo dolorem & causam stimulantem, fibrasque in oscillationem moventem, quibus sane circulationis celerioris sententia evincitur.

Fieri interim interdum, ut hujus notionis modo hic modo alter character in Ophthalmia deficiat, fatetur etiam cel: RICHTER.

In dubium tamen non voco demum ex vehementia febris inflammatoriae sanguinem inspissari, & inde obstructions in finibus vasorum generari, cujus sententiae fautor est BOERHAAVIUS; ex eoque evincitur etiam, quam male probaverit HEWSON a) dissolutionem sanguinis in febribus inflammatoriis. At-

a) Philosophical Transact. vol. LX. 1770.

Atque in Chemosi in cellulofam adnatæ
extravasationem sanguinis nonnunquam lo-
cum habere verifimile videtur.

§. IV. *Causæ Ophthalmiæ in Genere.*

Antequam in morbi causas fingulas atque diver-
fas inquirere incipio, non inutile me opus
fufcipere credo, præmittere generalem illam
ophthalmiæ distinctionem in in & ex-
ternas, nec non primarias & occasiona-
les. Causam proximam ex ipsis phæno-
menis ante enarratis sanguinem in oculi
vafâ congestum recte dici facile patet,
occasionalem vero efficit stimulus modo
idiopathicus modo consensualis, quos ut
speciatim percurram, rei dignitati re-
pondebit.

§. V. *Causæ Ophthalmiæ in Specie, et
quidem Stimuli seu Causæ Ophthal-
miæ idiopathicæ.*

Idiopathicus ipsum afficit oculum & ita
inflammationem producit, nam omnis irrita-
tio attrahit secundum Hippocratem, dum pars
stimulo affecta oscillat & sanguinem vellicando
ad se trahit. Hanc classẽ autem absolvunt
omne peregrinum corpus in oculum illapsum,
modo chemicum modo mechanicum, ut piper,
arena, ferrum, & alia, cataractæ operatio,
ventus frigidiusculus, perspiratio cohibita, præ-
cipue



cipue matutino tempore *a*), & metastases modo febriles, modo chronicæ variî generis ut rheumatismi, variolarum, gonorrhææ, morbillorum, disenterix (quam bis vidi), podagræ, arthritidis, herpetis, guttæ rosaceæ &c: de quibus fufius historias adducit eryfipelatis translati SAINT-YVES & BERTRANDI *b*), anginx IANIN *c*), febris quartanæ SAUVAGES *d*), lactis LENTIN *e*), scabiei RIEDLIN *f*), tinxæ capitis externis subito ficcata HOFFMAN *g*), CHENOTque *h*) buboni retropulfo plerumque succedere vidit Ophthalmiam. Reprimentia in leviori Ophthalmia inconsiderate ad-

a) FR. HOFFMANN diss. de præcipuis oculorum morbis. 1728 Halæ, & BLOCH medicinische Bemerkungen, ubi mulier Ophthalmia chronica afficiebatur, quotiescunque accubuit parieti humido.

b) SAINT-YVES Nouveau traité des maladies des yeux a Paris. 1722. c. II. artic: XIII. p. 184. BERTRANDI Chirurgische Operationen Wien. 1770.

c) IANIN l. c.

d) SAUVAGES nosologia method. T. I. p. 89. Venet.

e) LENTIN Bemerkungen Göttingen. 1774.

& SAGAR Systema morbor. Symptomaticum Viennæ 1776. p. 237.

f) RIEDLIN lin. med. anno 6. Mens. Jan. obs. 7.

g) HOFFMAN l. c. p. 8.

h) CHENOT tractatus de peste Viennæ. 1766.



admota accusat cel: VOGEL *a*), pilos oculum irritantes CELSUS *b*), ulcera in cornea & conjunctiva SAINT-YVES *c*), & carnem sub palpebris luxuriantem, qua abscissa morbus cessavit, invenit cel: MUZELL *d*). Efficiunt præterea adhuc hunc morbum cancer palpebrarum *e*), pustulæ, vel phlyctenæ in oculo, asperitudo palpebræ in parte interna herpetica, callosa, pustulosa, tubercula in margine palpebrarum varii generis, polypus nasi, struma *f*), fistula lacrymalis, pigmenta præcipue fæminarum *g*), ambustio oculi *h*), vapores *i*), fumus acris, involatus insectorum, contactus stirpium acrium, nec non aromatum, liquor acris oculis infusus, ligaturæ, pondera incumbentia, frictiones ac ploratus,

con-

a) VOGEL de cognoscendis & curandis præcipuis corporis humani affectibus. Göt. 1772. p. 128.

b) CELSUS de medicina libri 8. ex ed. Craus. Lips. 1766. p. 427.

c) SAINT-YVES l. c. cap. IV. art. VIII. p. 184.

d) MUZELL Medicinisch-Chir. Wahrnehmungen etc. Sammlung 1764. Berlin.

e) SAINT-YVES eap. VI.

f) HOME principia med.

g) GENDRON l. c.

h) JOURNAL de Medecin. T. 39. 1773. a Paris.

i) Ita ex effluviis putridis lacrimarum purgatores sæpe una vice singulos Ophthalmiis corripit animadvertit RAMAZZINI. vide ejus opera.



contusiones validiores, ictus, adpectus vel potius nimius calor ignis & solis *a*) & inflammatio meningum cerebri *b*), quaque ratione oleum calidum oculis admorum agat explicat MERCURIALIS *c*). Nec omittendi est *d*) Ill. SWIETENII singularis illa observatio, quod variolosorum custodes saepe Ophthalmiis laborent, etiamsi habuerint variolas.

§. VI. *Causæ consensuales.*

Altera causarum classis est consensualis, eaque ophthalmiæ generandæ occasionem præbere probabiliter videtur, si in remota aliqua ab oculo parte causa lateat quadam stimulans spasmosque pariens, ex quibus spasms continuæ sunt congestiones, quæ modo existente in oculo aliqua ad inflammationem dispositione majore saltem quam in alia parte, ad partem dispositam ruunt, oculum injiciunt, sicque inflammationem oculi producant. Hic vero spasmus excitat plethoram universalem vel particularem, de utraque speciatim distinctionis causa agam.

Ad

a) TRINGLE Von den Krankheiten einer Armee p. 158. Altenburg. 1772.

b) NEIFELſ ratio medendi morbis. Vratislav. §. 702.

c) MERCURIALIS de affectibus Capitis libr. I. c. 33.

d) SWIETENII commentarii in BOERHAAVI Aphorismos T. V. p. 52. Hildburgh.



Ad ophthalmicæ causas itaque per plethoram universalem agentes refertur ille stimulus in omnibus præfens febribus inflammatoriis ophthalmias ibi producens, evacuationes suppressæ tam naturales ut menses *a*), hæmorrhoides *b*), quam neglectæ artificiales, qualis est venæ sectio vel scarificatio *c*), ulcera & fistulæ antiquæ exsiccatae *d*), humorum tenacitas *e*) vel tenuitas præternaturalis, qualis contingit præprimis in morbis ex acrimonia quacunquæ *f*), ut venerea, scrophulosa, cancrofa ortis, ira, omnis motus nimius *g*), & æris constitutiones aquilonares, pluviales, & austrinæ *h*).

Quod secundo spectat alteram causarum occasionalium speciem plethora partiali Ophthalm-

a) a mensibus suppressis adducit historiam LENTITUS in miscellan. med. practicis P. 1. p. 143. & Acta Berol. Dec. I. Vol. v. p. 61. IANIN. I. C.

b) SCHULZ von den Krankheiten in Pohlen 1754. p. 64. Dresden BÖHMER A. N. C. Vol. IX. app. p. 61. HEISTER medicinische Wahrnehmungen T. I. p. 1063.

c) GABELCHOV. in Actis Berol. Cent. IV. cur. 38.

d) FR. HOFFMAN, I. C.

e) FERREIN. I. C.

f) ad causas acrimonix in genere commode referri possunt etiam Ophthalmix eruptionem exanthematum nonnullorum præcedentes.

g) BOERHAAVE I. C. p. 36.

h) HIPPOCRAT. aphoris. Sect. III. aph. II.

thalmiam producentem, ergo in earum censum
 veniunt omnis in elevandis ponderibus secun-
 dum BOERHAAVIUM nixus, parturientium cona-
 tus, obstructions viscerum & fasciæ thoracum,
 multum enim demonstravit cel. BONNAUD *a)*
 eas circulationem in abdomine impediendo con-
 gessiones & inde Ophthalmias parere. Crapulas,
 vigiliis, lucubrationes cum intemperantia studio-
 rum, & alvum adstrictam accusat NEIFEL *b)*,
 vermes intestinales SCHENCK *c)*, alimenta vi-
 specifica oculis adversa OOSTERDICK SCHA-
 CHT *d)*, catarrhum narium SAINT-YVES,
 atque a vomitoriis in febribus intermittenti-
 bus exhibitis se sæpissime staphylomata &
 Ophthalmias observasse mihi communicavit
 cel: BÖHMER Halæ Prof. Ex hemicrania
 Ophthalmiam ingentem narrat SCHUSTER *e)*,
 & cel: ACREL *f)* ex capitis dolore qua-
 drienni. Pertinacissimæ Ophthalmiæ post
 varia frustra tentata remedia occultam vere
 B cauf-

a) BONNAUD von den schädlichen Wirkungen der
 Schuur, Brüste. Leipzig 1773.

b) NEIFEL I. c. §. 707.

c) SCHENCK obs. med. p. 154. RAHN mirum inter
 caput & viscera abdominis commercium. Göt. 1771.
 p. 22.

d) OOSTERDICK SCHACHT institutiones med. pract.
 p. 144.

e) SCHUSTER observat. de Chemosi 1754. Lips. 4.

f) ACREL Chirurgische Händelser Stockholm. 1759. p. 75.



causam detexit in tribus dentibus cariosis , quibus eductis morbus cessavit , PIETSCH *a*) , & cel. PLENCK dentem sapientiæ in viro 35 annorum prorumpentem gravissimam Ophthalmiam cum deliriis & otalgia causare vidit , quæ vero , ubi emerit dens , cum reliquis symptomatibus concomitantibus etiam evanescebat , hypochondriacos sæpe quo tempore spasms & flatibus abdominis tenentur Ophthalmias pati expertus est BRENDLIUS *b*) , sordisque primarum viarum varii generis in quam plurimis his producendis morbis cognoverunt jam HIPPOCRATES & GALENUS.

§. VII. *Num Contagium in Ophthalmiis ?*

Contagio propagari nonnullas Ophthalmias jam jam suo tempore GALENUS *c*) & post eum ALEXANDER APHRODISÆUS in Problematibus evulgavit , nec non deinde Actuarius *d*) ophthalmiæ contagiosæ mentionem

a) JOURNAL de medecine T. 36.

b) BRENDLIUS opuscula medici argumenti T. III. diss. XVI. de valetudine ex hypochondriis.

c) GALENUS lib. I. de diff. febr. c. 2.

d) ACTUARIUS methodus med. c. 2. OOSTERDICK SCHACHT l. c. & KÖNIG diss. de remediorum indigenorum ad morbos cuivis regioni endemicos expugnandos efficacia.

nem injicit, quamque illis communicari asserit, qui levem ob causam afficiuntur.

Disquisituro mihi in hujus sententiæ fundamentum, aliqua distinctione opus esse autumo, patet enim contagium de Ophthalmia venerea, num vero idem quoque de aliis Ophthalmiæ speciebus valeat, certo nescio. Ecquidem quantus oculorum consensus tam inter se quam cum aliis corporis partibus sit, nemo eruditorum est, qui inficias eat. Demonstravit enim (ex quorum tribu aliquos tantum denominem) SEBIZ *a*) consensum oculi, qui cum cerebro, ventriculo, liene, hepate & intestinis intercedit, BARTHOLINUS *b*) observavit commercium oculi cum annulari digito, ubi oculus & digitus vicissim inflammatione afficiebantur, LENTIN *c*) nexum oculi singularem cum genitalibus illustravit multum, vidique Viennæ in Nosocomio Pazmariano feminam vicissim modo in palpebris, modo labiis oris efflorescentia chronica affligi. Majoris tamen adhuc evidentiæ sunt exempla commercii oculorum inter se, patet enim ex Auctorum monumentis uno oculo affecto aliquo morbo & alterum paulo

B 2

post

a) MELCHIOR SEBIZ diss. de Ophthalmia. Argentor. 1662. 4.

b) BARTHOLIN. Acta Hassniens. Vol. v. obs. 51.

c) LENTIN l. c. p. 133.



post eo affici; sic Ophthalmiæ hujus oculi alterius inflammationem sequi vidit SCHUSTER *a*), & uno oculo cataracta, vel aumaurosi vel alio morbo laborante & altero paulo post ea laborare observavit cel. RICHTER *b*). Hæc itaque certis principiis nituntur, num vero secundum HIPPOCRATEM consensus oculi cum alterius personæ oculo statuendus sit, merito dubitare licebit. Forte horum si unquam exstiterint exempla, valde irritabiles tales homines fuisse opportuisset, vel quod verisimilius an non commiscuerint nonnulli Auctores Ophthalmias epidemicas cum contagiosis? Id saltem cum aliis morbis sæpe factum est.

§. VIII. *De Ophthalmiis epidemicis
& periodicis.*

Quo incertius itaque contagium in Ophthalmiis est, eo minus dubio vexantur Ophthalmiæ epidemicæ. Ophthalmias epidemicas annotavit HUXHAM & HOFFMAN *c*), tempore australi eas animadvertit HIPPOCRATES *d*), & cel. BALDINGER tendente exercitu

a) SCHUSTER l. c.

b) RICHTER l. c. p. 16. & HELLMAN vom grauen Staar.

c) HUXHAM opera medico - physica et HOFFMAN l. c.

d) HIPPOC. l. c.



jecit *a*). Negari itaque Ophthalmiæ periodicæ nullo modo possunt, attamen de annuis non sine ratione contendere potest, quod non sint periodicæ, sed novæ præsertim habituales.

§. IX. *Divisio Ophthalmiæ.*

Dividitur Ophthalmia ab Autoribus in in & externam, veram & serosam *b*), universalem & particularem, simplicem, complicatam, continuam, periodicam, criticam, nec non primariam & symptomaticam. His distinctionibus generalioribus arrisit specialiorum adjungere nonnullis Auctoribus, ex iisque præsertim SAINT-YVESIO, SAUVAGESIO, CULLENIO & SAGARO denominatio secundum singulas causas in gastricas, cancras, metastaticas &c. Aliis vero hac potius placet generalior quædam divisio Ophthalmiæ in acutam & chronicam, acutam in siccam *c*) humidam, & Xerophthalmiam, sic-
cæ

a) IANIN I. C. cæterum videatur MEDICUS Von periodischen Krankheiten §. 19. & MORTON pyretol. exerc. I. cap. 9.

b) Distinctioni Ophthalmiæ in veram & serosam addit eel. LUDWIG ulcerosam. vide ejus institut. Chirurg. prælect. accomod. Lips. p. 26.

c) Sicca dicitur, quæ paucis humorum effluxu, humida multo & Xerophthalmia nullo stipatur.

æ in Taraxin , Chemosin & Phlegmonen ,
 & chronicæ in siccam (qualis est variolosa),
 purulentam , & lippitudinem. Hanc divisio-
 nem , quam dicunt per gradus , nonnulli qui-
 dem reprehendere conati sunt , quum non
 referat in totum veras species ; verum quum
 distinctioni optime consulat , & facile in has
 classes quævis Ophthalmia sine tædiosa repe-
 titione reduci queat, adeoque minus negotii fa-
 cesset memoriæ illa multitudine Ophthal-
 miarum tam verarum , quam falsarum a SAU-
 VAGESIO nominatarum , me satis superque ,
 cur ea utar , excusatum puto.

§. X. *Decursus Ophthalmiarum acuta-
 rum & quidem particularium.*

Exordiar igitur cum prima Ophthal-
 miæ divisione in universales & particulares.
 Particularium tres præcipue species proferri
 merentur :

Prima nempe species habetur ea , in qua ali-
 qui tantum in conjunctiva radii inflam-
 matorii observantur sæpissime ex interna
 palpebrarum superficie orti *a*) , qui tan-
 dem in conjunctiva sedem figunt vel ul-
 tro in corneam transeunt , in unum pun-
 ctum degenerant , & varicem formant ,

B 4

ex-

a) SAINT-YVES l. c. cap. IV. æt. VI. p. 183.



ex qua neglecta observante cel. RICHTER
ulcus pertinax evadit.

*Alter*a Species est frequens illa oculi rube-
do, quæ sugillatio audit, in qua in albu-
ginea macula unica rubra circumspecta
minor vel major exstat cum dolore ar-
dente in oculo, & averfatione lucis.
Ducit ea plerumque ortum ex contusione
& inde facta extravasatione, nec non
ex tubicinibus a nimia inflatione & vaso-
rum tensione prouti afferit HOFFMAN a).
Disparere paucis ab oculo diebus hanc
sanguinis guttulam, si blanda fue-
rit, acrem vero in ulcus vel Taraxia
transire observatum est.

Ultima tandem species est frequentissima &
angularis dici meretur, quia bulbum oculi
solummodo in canthis oculorum inflam-
matum sistit b). Succeedunt ut plurimum
inflammationi canthi nasalis pterygia.

§. XI. *Decursus Ophtb. universalium &
quidem primo Taraxeos.*

Est Taraxis levissima Ophthalmiæ speci-
es, & brevi temporis spatio interjecto ter-
mi-

a) HOFFMANN. l. c. p. 13.

b) SAINT-YVES l. c. cap. 39. art. v. p. 182.

minatur; albugineæ tantum insidet, corneam non afficit, & non tam late diffunditur a); albedine quadam colorata est rubedo, & vasa a se invicem distingui possunt. Conjunctiva plane non aut modice tumet, calet oculus leviter & interdum dolore modico afficitur. Lacrymatio non existit aperta, lucem plerumque ferre ægri possunt, & quam plurimum omnis plane abest febris.

Ortum ducit hæc Ophthalmiæ species quam plurimum a causa externa leviori, qualis est operatio levis, lux nimia, lectio immodica, plaga, aut sudor capitis suppressus b).

§. XII. *Historia Chemoseos.*

Per Chemosin intelligitur summus Ophthalmiæ externæ gradus seu adnatæ & conjunctivæ. Raro sola apparet, sed conjuncta cum ea plerumque est Phlegmone. Præterea ex causis internis sæpe fieri & diu durare contendit DIVAUX c).

B 5

In

a) Et

b) HOFFMANN l. c.

c) DIVAUX diis. de præcipuis oculorum affectibus.

1734. Argentor. p. 71.



In hac Ophthalmiæ specie valde omnia au-
gentur symptomata & ad summum effe-
runtur gradum: congestiones versus ca-
put sunt vehementes, rubet facies, ca-
pitis vertigo, & afflictio temulenta ad-
est, arteriæ pulsant, venæ inflatæ san-
guine turgent, febris est continua uni-
ta reliquis symptomatibus sibi alias pro-
priis, albuginea rubet ut pannus scar-
latinus *a*) & ita intumescit, ut super cor-
neam feratur, inter palpebras in conspec-
tum veniat, & omnem plane visum ina-
pediat *b*). Hoc in statu sæpe transit in-
flammatiō ex oculo in palpebras confi-
nes *c*), nuncque causat palpebrarum per-
versionem, ductus nasalis obstructionem
& vicinarum partium tensionem, ita ut
ad malas intumescant. Tandem inflam-
matur etiam caruncula lacrymalis, ea-
que tumida & quasi arenulis conspersa
videtur *d*). Cornea albida *e*) (viderunt
tamen etiam sed raro rubram cel.

GEN-
DRON

a) SAINT-YVES Cap. IV. tit. IX. p. 185. & VOGEL
I. c. p. 128.

b) IANIN I. c.

c) SAINT-YVES Cap. III. p. 176. & HOFFMANN I. c.
§. 2.

d) ROERHAAVE I. c. p. 56.

e) SCHMUCKER Chirurgische Wahrnehmungen.

Y. I. 1774.



DRON & RICHTER) simulque crassior quam in sano statu existit, & ita mollis est, ut lardi instar cultro sciadi possit. Dolor atrocissimus se per totum caput diffundit in superciliis nonnunquam vehementior, quam in ipso oculo, immo observatum est, ægros sæpe sentire dolores non in oculo sed in osse frontis. Febris maxime vespere apparet, eaque exacerbata per noctem dolor urget atrocissimus cum vigiliis nocturnis & pulsationis sensatione in capite vel oculo. Quod tandem in progressu sæpe nulla adsit febris, animadvertit optimus meus Præceptor cui lubenter omnia, quæ scio, refero. CEL. RICHTER.

Exitus Chemoseos is est, ut vel discutiat vel suppuret adeo, ut sæpissime oculus rumpatur, vel alios gignat morbos, de quibus vero in prognosi fufius agam; discussa tamen inflammatione sæpe recidivis expositus est æger, quoniam oculus morbo pars debilior facta facillime congestiones a quocunque minori stimulo suscipit.

§. XIII. *Pblegmone seu Ophthalmites*
Vogelii.

Morbum hunc gravem explicant per inflammationem oculi interiorem & præsertim choroideæ & uveæ. Ex prolapsu cataracta
mobi-



mobilis in cameram oculi anteriorem, vel operatione cum acu sæpe observatus est *a*). Raro tamen uti jam dixi solus morbus, sed plerumque cum Chemosi unitus, vehemens enim Chemosis in Phlegmonen transit.

Decurrit vero morbus ita: Albuginea modice inflammata est, ita ut in ea nullum vel paucum animadverteris ruborem *b*), lacrymis fovetur oculus *c*), iris est rubra, & pupilla constricta adeo ut videre profus non possit æger, immo aperta pupilla obstat ei visus ob summam lucis intollerantiam, omnes oculi interni partes inflammatae apparent, & bulbi magnitudo crescere videtur ex ægrorum sensu adeo ut nonnunquam e sede sua propellatur bulbus *d*), dolor intollerabilis scindens, pulsans in oculo, & posteriori bulbi parte adest se se diffundens dein per totum caput, qui præsertim latere affecto vehementior urget *e*). Jungitur simul febris vehemens, urgent vigilæ nocturnæ & deliria, præsertim in junioribus.

Omni-

a) NEIFELT l. c. §. 706 & IANIN

b) VOGEL l. c. p. 178.

c) SAINT-YVES l. c. p. 188.

d) CELSUS l. c. lib. VI. VOGEL l. c.

e) SAINT-YVES Crp IV. art. X. p. 139. & VOGEL l. c. p. 178. & exemplo confirmavit cæl. SCHMUCKER l. c. p. 320.

Omniū Ophthalmiarum est acutissima & periculosissima, & vix aliter quam hypopio finitur, quo oculus rumpitur & immedicabilis oritur cæcitas a).

§. XIV. *Ophthalmia acuta humida.*

Cognoscitur ea ex continuo, & copioso effluxu falsæ, lymphæ, & acris materiæ. Est morbus infantum, & ortum a transpiratione suppressa sæpissime ducit, quam ob causam recte Ophthalmiam catarrhalem nominat cel. RICHTER.

Lucem in hoc morbo ferre æger minime potest & dolore ardente in oculo & capite vexatur; oculus perpetuo lymphæ effluxu stimulatur, adeoque inde adhuc inflammatio magis magisque augetur b), eroduntur palpebræ, genæ, & labia oris, adeo ut rubescant, in tumorem efferantur, & ulcusculis defædentur: eadem ratione afficiuntur etiam viæ lacrymales, inflammantur etiam illæ, tumet nasus, & frequens sternutatio excitatur c). Hæc sequuntur tandem in genis tubercula rubra oculum obsidentia.

Febris

a) VOGEL l. c. p. 178.

b) SAINT-YVES c. IV. art. II. p. 183.

c) DIVAUX l. c. p. 76.



Febris præsens excurrit duo stadia, nempe in & decrementum; sub illo concoquit materiam febrilem & crassio rem atque blandiorem facit, sub hoc vero dolor minuitur, febris cedit, tumor cessat, & palpebræ humore crasso conglutinantur, quo exsiccato oculus omni labe carens aperitur. Ingravescente vero malo vehementiora fiunt symptomata cuncta, cornea humore acri emollitur, & rumpitur cum irreparabili visus amissione.

Ut plurimum huic morbo succedunt maculæ corneæ, entropia, ulcera palpebrarum & pterygia a).

§. XV. *Decursus* ^{ad} *Xerophthalmiæ*.

Sequitur tandem *Xerophthalmia*, seu vera *Ophthalmia sicca*. In ea cum dictis symptomatibus nulla lacrymarum fluxio conjuncta, nocturna tamen palpebrarum agglutinationo invenitur, oculus siccus adeo est, ut non absque dolore exquisito eum movere queat æger, riget bulbus cum musculis suis ob siccitatem & durus est, ita ut exinde hæc inflammatio scirrhosa dicatur. In progressu morbi dein in oculi canthis squammulæ siccæ generantur sensim mox desquamantes.

Obser-

a) HISTOIRE de l' acad. royale de sciences Année 1747. à Par. 1752. p. 339.



Observatur hic morbus præcipue in morbis malignis aut post Ophthalmiam humidam adstringentibus, & spirituosis præcipue tractatam.

De decursu Ophthalmiarum chronicarum quædam dicam in capite de illarum cura.

§. XVI. *Prognosis.*

Differt prognosin ratione subjecti, vehementiæ morbi, symptomatum, loci, causæ, dispositionis corporis & ætatis &c. Circa prognosin vero notanda sunt sequentia:

I. Non eandem omnibus ad Ophthalmias inesse proclivitatem, & ad eas maxime dispositos experientia & ratio docuit primo sensibiles, apud eos enim a levi stimulo magnæ turbæ: et ex ista thesi facile sequitur in ipsis eo faciliorem inflammationem fore, quo major fuerit irritabilitas, phlegmaticos rarius Ophthalmiis laborare, iis vero infantes & feminas valde obnoxias esse, quoniam earum vasa a quocunque stimulo facile extenduntur. Secundo aliis sæpius hoc morbo vexantur macilenti pallidi, in his enim tota massa sanguinea stimulo acri imprægnata est; & tandem etiam debilitate oculi topica affecti, quam sibi contrahere valent

ex



ex crebris Ophthalmiis, doloribus capitis, gutta rosacea & fortiori oculorum usu, quæ fors præsertim est doctorum & artificum, prout e contra non minus etiam ad Ophthalmias disponunt vasa oculi solito strictiora.

2. Quo magis in Ophthalmia inflammatio ad exteriores partes vergit, eo melius est; periculosius vero, si ad internas transeat; hinc Taraxis præferri Phlegmoni debet, mitior enim morbus est externus, & adhuc in externis facilius & cum majori valetudinis spe applicari medicamenta possunt.
3. Ophthalmia ex causa externa quam plurimum præferenda est Ophthalmiæ ex interna natæ, pertinacior enim sæpissime hujus causa in cura manifestatur.
4. Frequentes sunt ^{estate} secundum HIPPOCRATEM a) Ophthalmiæ acutæ, ~~fiocæ~~, si hiems ~~austrina & pluviosa, & ver siccum~~ & aquiloni ^{uam fuerit, ver autem pluviosum et australe.}
5. Periculosam novit Ophthalmiam humidam SAINT-YVES b), ob diurnitatem majorem, sæpiusculas recidivas, & lymphæ acrimoniam.

6. In-

a) HIPPOCR. Sect. III. aph. II.

b) SAINT-YVES Cap. v. p. 191.



6. Inflammationes oculorum chronicas curatu difficilioreſ cenſendas eſſe recentibus experientia evicit, quoniam earum cauſæ impaſſiores corpori ſunt, oculo debilitato ſæpe revertunt, & in habitum degenerant.
7. Tumor magnus ſine dolore & ſiccus ſine ullo periculo eſt, at ſiccus cum dolore fere exulcerat, ibique nonnunquam palpebra cum oculo conglutinatur *a*).
8. Rumpitur oculus, ſi pituita pallida calida multa profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget *b*).
9. Iuncta vel præcedente pertinaci cephalæa Ophthalmiæ crebro lumen amitti annotavit NEIFELD *c*), exemploque confirmavit SCHUSTER *d*); quo pertinet etiam Ophthalmia poſt phrenitidem vel aliam febriſ acutam ortam, quam infauſti omnis notat etiam ill. STÖRK *e*).

C

IO. In-

a) CELSUS l. c. Cap. VI, p. 347.

b) CELSUS l. c.

c) NEIFELD §. 709.

d) SCHUSTER l. c.

e) STÖCK mediciniſcher Unterricht T. I. p. 80.
in genere mali omnis eſſe Ophthalmiam ſymptomaticam in febribus annotavit jam HIPPOCRATES.



10. Infaustissimum in cancro quavis corporis parte modo sito existit Ophthalmia a); indicat enim virus cancriforme per universum corpus dispersum, adeoque incurabilem morbum esse. Pariter inflammationem oculi in febre orientem alvi diurnam malignam affectionem significare adhuc ab HIPPOCRATE asseritur b).
11. In regionibus calidioribus frequentes sunt Ophthalmiæ & facile curantur, in frigidis vero rariores, & curatu difficiliores, nam hæ plerumque ex causa illi graviori nascuntur.
12. Secunda formari prognosis potest inter alia bona signa c) si æger melius ferre lucem queat, quoniam id morbum minutum esse indicat.
13. Iudicatur Ophthalmia iisdem crisi- bus, quæ communes sunt febri cum ea conjunctæ; hinc bene sperandum esse accedente diarrhæa observavit HIPPOCRATES d), & GALENUS alvum copiosius fluentem oculis mederi expertus est e).
- Nec

a) SCHMÜCKER Chirurgische Wahrnehmungen v. 11.

b) HIPPOC. COAC. 230.

c) BOERHAAVE l. c. p. 58.

d) HIPPOC. Sect. XVI. aph. 17.

e) GALENUS libr. contra IUL. C. I. & lib. XII. de method. med. c. 11.



Nec non hæmorrhagiam narium acceptissimam declarat cel. WRISBERG, quum vicem agat venæ sectionis topicæ ob communicationem vasorum narium cum oculo *a*).

14. Raro redeunt Ophthalmiæ idiopathicæ bene curatæ.

15. Terminatur Ophthalmia vel resolutione benigna, vel transit in suppurationem in aut externam, gangrænam, scirrhum, vel in alios morbos, nam gravissimus interdum morbus est, & nullis remediis sanari potest. Speranda resolutio benigna est solummodo in mitiori malo & humoribus blandis: suppurat oculus, si inflammatio brevi temporis spatio repente, & vehementer adhibitis alias optimis remediis progrediatur præsentibus etiam aliis signis suppurationem indicantibus: oritur scirrhus si magna obstructio cum exiguo dolore ac febre præsens fuerit: & transit oculus in gangrænam, si humores ægri vel ante Ophthalmiam natam jam corrupti ad putredinem vergant, vel ex febris vehementia modo ad destructionem delati fuerint: valde raro autem

C 2

in

a) Huc referri etiam videtur Ophthalmia per hæmorrhagiam ex cantho oculi interno curata, cujus mentio fit in Fränkschen Sammlungen. T. III. p. 319.



in gangrænam transire monet cel. RICH-
TER rationem addens, quod eam nunquam
adhuc in tanta copia mortalium Ophthal-
miis affectorum animadverterit ipse.

Morbi vero ex Ophthalmia pullulantes
varii & multiplices sunt: opacitas corneæ
ex opacitate liquorum in cornea *a*) immo con-
cretio vasorum corneæ inter se eo magis si
nimia sanguinis (ut in variolis). adsit te-
nacitas, varices oculi *b*), staphylomata *c*),
synizesis *d*), synechia, cataracta *e*), atro-
phia, amblyopia, amaurosis *f*), ulcera in
cornea & margine palpebrarum, fistulæ la-
crymales *g*), pterygia *h*), trichiasis, en-
tropium, ectropium *i*) anchyloblepharon,
viditque cel. BLOCH *k*), post pertinacem
demum domatam Ophthalmiam in iride fissu-
ram visum tamen non impedientem.

§. XVII.

a) ROERHAAVE l. c. p. 37-38.

b) SCHMUCKER l. c.

c) IANIN l. c. & SCHMUCKER l. c.

d) HOFFMAN l. c. & IANIN l. c.

e) ROERHAAVE l. c. p. 41. SAINT - YVES p. 192. cap. v.

f) COMMENTAR. Götting. novi t. IV.

g) E. A. N. C. Anno VIII. obs. 94.

h) HISTOIRE de l' acad. royale de scienc. l. c.

i) ACREL Kranken Geschichte.

k) BLOCH. l. c. p. 5.



§. XVII. *Curatio Ophthalmiarum acutarum & quidem prophylactica.*

Hanc tunc indicatam præcipue fore credo, quum corpus peregrinum in oculum il-lapsum est, vel si cataracta extrahenda vel deprimenda fuerit. Sequentia vero poscit:

Præmissa causa Ophthalmiæ supra enar-rata, nempe stimulo quodam, facile apparebit, quod eo præcavendo vel minuendo absolva-tur tota medela; requirit ergo necessitas, ut plethoricis venæ sectio celebretur, impuræ primæ viæ evacuentur, cibus omnis aroma-ticus a victu excludatur, & potus eligatur demulcens atque refrigerans; requirit etiam medici prudentia & famæ suæ cura ut ani-mus ægri erigatur & operationis metus quan-tum licet minuatur, docuere enim tristia ex-empla, quam sæpe operatio alias optime in-stituta animi pathematibus annihilatur, medi-cique curam eludat. Ad hæc multum etiam confert, ut ægri corpus in statum ad spasmos minime dispositum seu phlegmaticum re-digatur, qui scopus attingitur diætâ vegeta-bili aquosa, clysmatibus, fomentationibus emollientibus, & cataplasmatibus relaxanti-bus abdomini applicatis, pediluvii, nec non oleosis in & externe adhibitis. Si vero his præmissis nihilominus exoriantur spasmi, tunc præstantissimi usus sunt opiata, quippe quæ
C 3 omnes



omnes turbas congestiones in systemate nervoso parientes sopiunt, & optime fugant a).

Alterum momentum, quo Ophthalmia præcaveri potest, comprehendit remedia externe adhibenda, de quibus vero usurpandis non pauca inter Auctores observatur: his atque discrepantia; multi enim oculo imponunt linteum solutione tutiæ madefactum, alii volunt liquorem vegeto min. GOULARDI, nec non alii in spir. vini spem omnem collocant b). Verum cur hic adstringentia in usum trahantur ego sane nescio, nullamque ad ea indicationem adesse video, quum nondum sanguis accumulatus existat, immo ipsa hæc remedia stimulo quem exserunt congestiones pariant. Satis superque ergo ex his patere credo merito ab istis remediis abstinendum, eaque usurpanda fore, quæ dolorem & irritabilitatem minuunt, & talia sunt emollientia anodinis juncta, quorum compositio egregia est celebre WOOLHOU'SII cataplasma ex pomo tosto, camphora, & croco c) omni dimidia hora tepide in molli linteolo ita
fron.

a) RICHTER Vom grauen Staar p. 159. & ejus Chirurgische Bibliothek. T. I. 1. Stück p. 118.

b) HELLMANN l. c.

c) Similis fere formula eximia existat in egregio libro

fronti, & oculo applicatum, ut nec stimuletur oculus, nec ejus perspiratio turbetur d).

§. XVIII. *Cura radicalis Ophthalmia acutæ in Genere; qualis in ea indicatio generalis?*

Quum in morbis inflammatoriis in genere resolventia, temperantia, & refrigerantia ex omnium remediorum tribu præstantissimum ferant auxilium, Ophthalmiaque ex omnium consensu morbis inflammatoriis adnumerari debeat, facile unicuique intellectui erit, quod in ejus medela in genere unice tantum resolutio materiæ febrilis, quæ methodo antiphlogistica obtinetur, indicata fuerit. e).

§. XIX. *Pertractationi ipsi præmittitur quædam quæstio generalis utrum necessaria sit oculi obvelatio ope lintei?*

Hæc omnino quæstio supervacanea ante hæc visa esset, quum ex omnium consensu

C 4 non insuper oculo

III. L. B. de STORCK medicinischem Unterrichte 7. 11. p. 19. no. 54. quæ sequens est: *g. pulpæ pomor. acid. dulc. micæ pan. alb. aa ʒij flor. Sambuci m. 11. coque s. q. ▽ in formam catapl. sub finem adde camph. gr. x. croci austr. ʒj*
M. Non paulo multum differt etiam formula, quam

de oculo



oculi linteolis clauderentur. Verum nuper
 cel. ODHEELIUS *f*) oculi cum linteo obum-
 brationem ex toto rejecit, eaque ex causa re-
 prehendit, quod ligaturæ premendo stimula-
 rent, fluxum lacrymarum interciperent, &
 inflammationem auferent, nec non exinde
 quod oculus ut à luce tangatur creatione exi-
 stentiam acceperit. Verum ad hoc respon-
 dere possumus, quod methodo ante indicata
 lacrymarum fluxus non intercipiatur, adeoque
 inflammatio non augeatur, & alteram ODHEE-
 LII rationem ad probandam suam sententiam
 hic non quadrare, quis est, qui non facile
 videat? Quis enim nescit oculum ut a luce
 tangatur creatum esse in statu sano, sed quare
 dolores acerbos lux parit, & inflammationem
 valde promouet? Nonne ergo verisimilius
 ex

b. Præceptor DE HAEN in ordinatione publica præ-
 scribere solebat, quæ ita est: R. micæ pan. alb. pulp. pomor.
 acid. dulc. aa ʒij . flor. rosar. rubr. flor. samb. aa M ʒss .
 J. a. coque in consist. catapl. sub finem adde camphor. sach. sa-
 tum. croci austriac. aa gr. x. M. exact. In progressu Ophthal-
 miz dein plura adstringentia adiecit.

d) de optimo modo linteolum applicandi vide cel.
 RICHTER. l. c. p. 166.

e) quum Ophthalmia symptomata cesset cessante
 morbo cujus est symptoma, hinc mentionem solum de
 primaria hic fore facile liquet.

f) ODHEELIUS pamminselæ vid det brackeliga sättert at
 bota ogats sjukdomar 1772. STOCKHOLM.



ex his contendi potest, quod oculi obvelatio naturæ conamen in hoc statu esset, & ea naturæ succurrendum foret? Præcaveatur itaque luce ab oculo averfa & occasione sublata, qua alias aperto oculo continuæ fiunt circumgirationes, frictio & nova inflammatio. Hæc eo magis meta bini si claudantur oculi attingitur, oculo enim unico solummodo clauso alter etiam ex consuetudine sub linteo circumgiratur.

§. XX. *Medela ipsa Ophthalmiarum acutarum, & quidem primo Chemoseos, & Phlegmones, ubi primum momentum est venæ sectio.*

In pertinacissima hac morbi specie secanda vena est, siue infans fuerit æger seu senex, idque fiat largiter, ut suppuratio præcaveatur, experti enim sunt Auctores unam copiosam venæ sectionem plus profecisse pluribus minoribus aliquot vicibus susceptis; quare etiam BOERHAAVIUS *a)* & ROWLEY *b)* in vehementiori malo ut in pleuride agendum esse monent. Repetenda ergo erit venæ sectio in robusto homine certo tempore, certa corporis parte, (si quædam morbi conditio, qualis contingit in hæmorrhoi-

C 5

rhoi-

a) BOERHAAVE I. c. p. 46.

b) ROWLEY *Essai on the Ophthalm.* 1771. LONDON.



rhoidariis vel menstrui fluxus vicio laborantibus, adsit, & ea quantitate prout major vel minor plethora, & prout malum majus vel minus est. Debili tamen agro venæ sectio universalis denuo (immo sæpe nec prima tantum vice) instituenda non est, sed urgente morbi vehementia topica in usum trahatur venæ sectio, adeoque regioni temporali vel palpebris ipsis apponantur hirudines numero a vehementia morbi desumpto a), vel

a) De hirudinum efficacia nuper cel. BLOCH l. c. p. 58. experientia suffultus ait, quod hirudines & pediluvia parum faciant, immo noceant. Quomodo hanc unius viri cum pluribus virosum cel. sententiis conciliare possim, sane nescio. Forte cel. BLOCH tunc hirudinum usum nocivum expertus est, quum in malo graviore in plethora vera universalem venæ sectionem particulari non præmisset? tunc enim vere nocent. (PRINGLE l. c. p. 159.) Saluberrimum autem earum usum non satis efferre varii alii fide digni Auctores possunt, ex quorum tribu cel. PRINGLE l. c. p. 158. eas efficaciores invenit venæ sectione universali, dum ad fundum palpebræ inferioris, vel ad canthum oculi exteriorem duas vel plures apposuisse, & iis remotis ex vulnere tam diu hæmorrhagiam sustentasset, donec sponte cessaret. Cel. STRANDBERG Ophthalmiam validissimam septem oculo circumpositis hirudinibus fugavit, cel. SCHMUCKER l. c. T. I. p. 497. methodo, qua post venæ sectionem utrisque palpebris 6-8 hirudines affigit, & per 4-5 horas vulnera sanguinem spar-



vel collo cucurbitulae saepe repetita agglutinentur, illaque pro necessitate repetantur. Si vero iis diligenter incassum nihilominus adhibitis morbus augeatur, & suppurationis metus adstet, suscipi potest phlebophthalmotomia oculi, qua methodo sinistra manu Chirurgus palpebras aegri diducit, dextra vero tumentes istiusmodi venulas prope alterutrum oculi canthum per admotam forficulam quandam subtiliorem vel scalpellum apice leviter incurvatum transversim aut incidit, aut penitus discindit, & quidem semel & simul si plures turgeant, vel repetitis vicibus, sanguinemque inde emanantem dein non sistit, sed aqua potius tepida adfluxum ejus adjuvat, donec sponte cessat. Nec in eo quid periculosi metui debet, quum Aegyptii idem saepe fecerint *b)*,

&

spargere permittit, optime se habuit praesertim apud infantem, ubi melius aliis methodis in iis non tam facile applicandis vasa oculi turgida deplent, & JAMES (dictionnaire univers.) adeo hirudines recommendat ea quidem differentia, ut eas angulo interiori carunculae apponi jubeat, quae sententia omnino audienda est, quia ex vena angulari ibi propior revulsio, quam in alia parte existit: immo vidi Viennae in puella aliquoties vena frustra secta & hirudines subito morbum tollere; expertus idem etiam scribit cel. SCHMUCKER. vide ejus *Vermischte Schriften*. T. I. p. 100.

b) ALPINUS de medicinae Aegyptiaca. Vener. 1591.



& recentiorum clarissimi viri *a*) tutissimam operationem dicant. Vel confugi in gravissima chemosi potest ad præsentissimum omnium remediorum, quod sæpissime obicem posuit suppurationi jam appropinquanti, cujusque miros effectus non satis deprædicare possunt cel. SAINT-YVES *b*), OOSTERDICK SCHACHT, BALDINGERUS, IANIN *c*), IHEDEN *d*), & RICHTER, scarificationes inquam conjunctivæ suscipiendas ita, ut conjunctiva cultro vel forfice inscindatur, aut ejus pars discindatur eundem ad finem ut sanguis accumulatus effluat. Juvare hoc remedium, ubi alia nihil possunt, referunt recensiti celeberrimi viri.

Quamdiu igitur dolor & rubor urgent, sanguinis missiones differendæ non sunt, ne aucto malo suppuratio superveniat, venæ sectione enim congestio tollitur & suppurationis metus avertitur; unde recte GALENUS in libro de venæ sectione vena copio-

a) GENDRON I. C. THEDEN Unterricht für Wundärzte. T. II. p. 210. FELIX PLATERUS libr. I. praxeos med. de visus lesione. legis tamen etiam hujus operationis incommoda apud HEISTERUM instituit. Chirurgiæ T. I. in infantibus.

b) SAINT-YVES I. C. & OOSTERDICK SCHACHT I. C. p. 145.

c) IANIN I. C.

d) THEDEN Unterricht für Wundärzte. T. II. p. 210.



piose secta statim a phlegmone, & fluxione
ægros liberatos esse vidit.

§. XXI. *Sectio arteriæ temporalis, &
venæ jugularis.*

At hirudines & scarificationes non so-
lum topicorum classem absolvunt. Meretur
non minorem laudem etiam sectio arteriæ
temporalis, vel potius venæ jugularis usitata
jam jam temporibus GALENI a) b) & ME-
SUE, & comprobata ad nostra usque tempora
a doctissimis in arte medica viris, ex qui-
bus ALPINUS c) solemnes utrasque Ægyptiis
fuisse annotavit; QUILLEMAU d) BAR-
THOLIN, e) BOERHAAVE f), RIVERIUS
g), HEISTER h), & OOSTERDICK SCHACHT
pro sectione arteriæ temporalis uberrima en-
comia adferunt, & recentiorum principes
præ-

a) GALENUS ad finem c. 14. meth. med.

b) HILDANUS Cent. IV. obs. 14. in Galenum

c) ALPINUS de medicina Ægyptiaca.

d) JAQUES QUILLEMAU chirurgie francoise. a Paris
1594. fol.

e) BARTHOLINI Acta Hassniensia, Vol. I. Obs. 4.

f) BOERHAAVE l. c. p. 47.

g) RIVERIUS prax. libr. I. in fine & libr. II. c. 8.

h) HEISTER med: Chir. anatomische Wahrnehmungen
p. 70-71.

præprimis venæ jugularis sectionem in latere affecto non satis recommendare valent a).

Nec opus est multis argumentis demonstrare, quam subitum levamen hæc venæ sectio topica afferat, ejicit enim natura hæmorrhagias criticas e loco proximo, cur non immitanda erit natura? ad hæc satis superque observata jam Medicorum antiquissimorum docuere, quod venæ sectiones in parte proxima optime liberent partem læsam, quia revulsio major & celerior ibi quam in alia parte est. Hujusque asserti veritatem comprobata fane multoties in sectione venæ jugularis ad debellandas Ophthalmias instituta etiam habui, vidique sæpissime Viennæ in Nosocomio fratrum misericordiæ sub ipsa jam venæ sectione topica ruborem oculi pallescere, & subito Ophthalmiam resolvi. Id eo magis illustratur egregio levamine topicorum in aliis etiam morbis, de quibus fufius egit VATTI, LENTINI & nuper cel. BRAMBILLA b).

Sci-

a) HORAT. AUGEN. libr. IX. c. 16. de venæ sectione. FR. HOFFMAN I. C. PRINGLE I. C. p. 159. HEISTER institut. chirurg. T. I. ROWLEY I. C. RICHTER.

b) LENTINI diss. de prærogativa venæ sectionis in partibus laborantibus 1756. PLACENTINI diss. de vena, quæ in morbis particularium partium salutaris sit incidenda. 1756. Patav. BRAMBILLA von der Pfliegmonie 1771. Wien.

Sciendum tamen est, quod urgentibus validis congestionibus versus caput sectio venæ jugularis non nisi præmissa alia uniuersali institui bene possit.

Attamen cur nihilominus hæc venæ sectio ita popularis non sit, in eo quærenda causa videtur, quod ægri eam raro concedant, & plerique chirurgi suscipere non audeant, quare nostro ævo a plerisque brachio vel pede venæ sectio celebratur.

§. XXII. *De Ophthalmoxysæ.*

Nequaquam etiam sicco mihi pede transienda videtur celeberrima quondam operatio, intelligo ophthalmoxysin seu scarificationem oculi methodo Woolhousiana, quum primis hujus sæculi lustris adeo a nonnullis elata fuerit, ut eam ad inventiones hujus sæculi maximas referre non dubitaverint, nec non nostris temporibus a viris non ineruditis valde recommendetur. Hujus methodi sic dictus inventor salutabatur quondam WOOLHOUSIUS natione anglus Ophthalmiater Parisiensis celeberrimus initio hujus sæculi vivens, qui arcano suo Ophthalmias se fugare sparsit famam; factum inde est, ut non paucam sibi acquireret gloriam, & adhæc multum contulit id ad trahendos ad se adhuc magis eruditorum animos, quum nemini hujus rei copiam faceret, nisi soluto prius ingenti pretio



tio & religioso infuper imposito sacramento, vel amantissimis suis discipulis obscure tamen impertiret *a*). Interea quum paulo post hoc arcanum palam fieret, non nulli quidem præfertim sectatorum suorum WOOLHOUSIUM inventorem hujus methodi prædicare pergebant, alii vero GRÆCIS, ut DIOSCORIDI, GALENO, AETIO, AELIANO, AEGINETÆ, & CELSO cognitam fuisse contendebant *b*). Inter varias has atque multiplices dimicationes ipse tandem confessus & testatus est WOOLHOUSIUS, se non inventorem, sed post tot elapsa sæcula epitomatores tantum eumque primum sententiæ alicujus obscuræ HIPPOCRATIS gloriari *c*). Verum cel. TRILLERUS incognitam quidem hanc oculorum rasuram HIPPOCRATI olim haud fuisse concedit, at instrumentum chirurgicum quo illa perageretur, nequaquam hic ab ipso descriptum esse contendit *d*). In sequentibus dein annis tres WOOLHOUSII discipuli eo ipso digniores quo magis excelluerunt in arte medica

a) MAUCHART diss. de 'Οφθαλμοῦνσι nov - antiqua Tubingæ 1726. p. 5. 9. 14.

b) TRILLER programma de scarificationis oculorum historia, antiquitate, & origine. Wit. 1754.

c) HIPPOCRAT. opera omnia. T. III. de visu ex ed. HALLERI.

d) TRILLER commentatio de scarificat. 1754. Wit.



dica ut HAMPE *a*), MAUCHART *b*) & PLATTNER *c*), majorem huic operationi suis scriptis contulerunt gloriam.

Instrumentum huic operationi inserviens, quo utebatur WOOLHOUSIUS, constabat ex fasciculo 15 glumarum spicæ hordei aristis adeo junctarum, ut glumarum pars convexa fasciculi forma versus exteriora collocata esset. Hoc instrumento instar penicilli distentis palpebris dilaceravit undique conjunctivam, & superficiem internam palpebrarum eo usque donec sanguinem funderet, & ita venæ sectionem topicam susciperet.

Quæritur modo, quid de laudando, vel vituperando hoc remedio argumentandum fuerit? WOOLHOUSII discipuli & præsertim SAINT-YVES *d*), PLATTNER, KALTSCHMID & THEDEN *e*) utile pronunciant, adversarii vero rejiciendum esse credunt ea ex causa, quod spicula si sicca non sint, non radant, sicca vero frangantur, in oculi tuni-

D

cis

a) HAMPE *dis.* medico-chirurgica de scarificatione oculari HIPPOCR. 1721. Dvisburg.

b) MAUCHART *l. c.*

c) PLATTNER de scarificatione oculorum 1726. vide ejus opuscula.

d) SAINT-YVES p. 194. cap. VI.

e) THEDEN *Unterricht für Wund- & Herzze* p. 210.



eis remaneant & inflammationem augeant. Ad hanc removendam objectionem aliud quidem invenit instrumentum cel. PLATNER *a*) laminam nempe chalybeam ovalem altero latere protuberantiis instructam: verum nec hoc vacat erroribus, ideo a summis in medicina viris tota rejicitur operatio, frustra enim instituit eam HEISTER *b*), periculose rasisse WOOLHOUSIUM palpebras fragili & manifeste dentato penicillo addit cel: HALLERUS *c*), noxiam pronuntiant GUERIN *d*), GENDRON, SCHMUCKER, ROWLEY, RICHTER, & PLENCK, alique clarissimi viri ex septem omni cura scarificatis oculis semper quatuor occoecatos esse viderunt, oculi enim quod recte annotavit MERCURIALIS *e*) sine damno tangi non possunt, quis ergo hinc eventus metuendus foret, si ita ruditer dilacerentur? nec quis videt quam facile cornea lædi possit, quum æger tam diu oculum in situ debito tenere non queat? dolorifica dein operatio est, ita
 ut

a) PLATTNER l. c.

b) HEISTER institut. chirurg. p. 11. Sect. 11. c. 52.

c) HALLER bibliotheca chirurgica. t. 1. Basil. 1774. p. 528.

d) GUERIN Versuch über die Augen Krankheiten. 1773. Leipzig

e) MERCURIALIS med. pract. libr. 1. c. 29.



ut convulsiones aliosque malos effectus anno-
tante ROWLEY pariat, varices metuit inde
cel. SCHMUCKER, suppurationem oculi ex-
ternam a ii, & rursus alii facilem concretionem
oculi cum palpebris, & tandem supervaca-
neam credit ROWLEY operationem, quia
plus proficiunt hirudines, plus enim sangui-
nis evacuant ex loco inflammato.

§. XXIII. *Remotio causarum, quod alte-
rum est momentum in cura Chemo-
seos & Phlegmones.*

Imminuta morbi vehementia causa stimu-
li ac congestionis invenienda & tollenda est
oportet; earum præcipuas proponam:

- I. Ex illis frequentissimam causam constitu-
unt corpora peregrina in oculum illapsa
modo chemica, modo mechanica. Quum
chemica in oculi superficie ab humoribus
dissoluta stimulent, facile concludere li-
cet, quod hic stimulus ad præcavendam
Ophthalmiam necessario diluentibus ob-
volvendus atque debilitandus foret. Hanc
quidem rem ipsa perficit natura lacryma-
rum copiosiori secretionem, quum autem non
sit sufficiens, succurrere arte necesse est,
quod fit collyrio ex lacte cum croco,
gummi arab. solutione vel decocto al-
thææ; ad quorum applicationem suadet

D 2

etiam



etiam GARENGEOT *a*) aliquod instrumentum, quod commoditati inservire deberet, quum autem vere incommoda varia habeat & simplicitati studendum sit, cochlear ad oculum admotum sufficere recte monet cel. RICHTER, vel quod eo facilius ægro in dorso cubanti in cantum oculi internum instillari obvolvencia possunt.

Corpus mechanicum non obstante Ophthalmiæ vehementia ante venæ sectionem quam primum ex oculo removeri debet; tumore vero atque dolore id impediente post eam fiat acu bicipite hærente corpore in membranis oculi, eo vero obvoluto inter palpebras & bulbum oculi palpebris elevatis ope penicilli abstergatur.

2. Alia causa frequens saburra nempe primarum viarum (ubi opus fuerit) resolvenda, & prout ratio poscit vomitoriis vel purgantibus eliminanda est. In nostro tamen morbo præferuntur solito vomitoriis purgantia, quoniam ea simul revelunt, vomitoria vero sanguinis impetum versus caput excitant. Hæc indicatio primas vias depurandi per inferiora eo
ma-

a) GARENGEOT traité des instrumens de chirurgie.
1725. Haag. T. 1.



magis dilucidatur ex præstantissimo emolumento, quod præstant in omni Ophthalmia in genere evacuantia minora non solum revellendi, alvi obstructionem præcavendi vel tollendi sed etiam refrigerandi scopo; multo magis elucet ex his præmissis necessitas, quod inter primas indicationes in Ophthalmiis epidemicis præsertim autumnalibus evacuatio referenda fuerit. Et hinc facile intelligi possunt encomia purgantibus a celeberrimis viris tributa; ita vidit GALENUS *a)* per solum purgationem per alvum una die a Phlegmone liberatos homines, CELSUS *b)* animadvertit nonnullos quum aliquamdiu nil vidissent repentina alvi profusione recipere lumen, unde arte alvum sollicitandam esse monet, omne punctum in oculorum affectibus purgantia ferre expertus est WEDEL, & unico sæpe purgante totum se profligasse morbum asserit PECHLIN *c)*, epidemicam Ophthalmiam MEDICI VRATISLAVIENSES alvi profluviiis naturalibus vel arte factis fugarunt,

D 3

runt,

a) GALENUS libr. XIII. c. 2.

b) CELSUS libr. VI. c. VI. p. 37.

c) PECHLIN dialogus de potu theæ p. 27.



runt, & cel. STRACK a) in petechiis non nisi purgantibus chemoses fuitulit.

3. Tandem si rheumatismi, excretiones cutaneæ vel exanthemata retropulsa, & ulcera antiqua exsiccata fuerint, ea revertentur vesicatoriis, levibus diaphoreticis, antimonialibus, mercurialibus & pediluviiis prout ratio poscit; spasmi hypochondriacorum abdominales solvantur anodinis, suppressæ hæmorrhoides, vel menses restituantur, lac ad oculum translatum purgantibus præcipue revellatur, vermium nidus destruat, dens cariosus ejiciatur, & ita quam primum causæ cujuscunque ratio habeatur.

De profliganda Ophthalmia periodica, & corrigenda acrimonia venera, & scorbutica infra sub sectione singulari nonnulla dicam, morbus enim ex causâ specifica ortus requirit etiam remedia specifica.

§. XXIV. Tercio de usu purgantium.

Num consilium magni BOERHAAVII b), quo post horam a factâ venæ sectione & SAINT-YVESII c), quo altero die in omni
Oph-

a) STRACK obs. de petechiis æger 14-15.

b) BOERHAAVE l. c. p. 48.

c) SAINT-YVES l. c. chap. vi. art. ix. p. 206.



Ophthalmia fortissimam purgationem hydragogam cum antiphlogisticis ad animi deliquium recommendant, in omni vehementiori Ophthalmia statim sequendum fuerit, certo dubitare vel negare licebit. Necessaria quidem in omni inflammatione oculi esse purgantia leviora ante ostensum fuit; at si venæ sectione suppurationis periculum minutum fuerit, cur drastica dentur non liquet; sique venæ sectio sufficiens non fuerit, topica drastica potius præferri præsertim ubi nullæ adsunt sordes, suadent experientia, & ratio; topicis enim minui malum potest, iisque non magnam sanguinis quantitatem amittit æger, adeoque non debilitatur, purgantia vero frangunt vires valde, adhæc si quod ante recommendatum est in omni Ophthalmia per totum morbum leviora purgantia revellendi, alvi obstructionem tollendi, & depurandi scopo (quoniam in decursu morbi sæpe ad intestina nonnullæ deponuntur sordes) in usum trahantur, sane nimis debilitatur intestinorum tractus, idque eo magis fieret, si drastica etiam adhiberentur, unde tandem quod satis superque observarant auctores, succedit, ut ob ægri debilitatem in tali casu antiphlogistica exhiberi amplius non possint, vel transit iis adhibitis Ophthalmia in chronicam, & typum quendam observat. Et iste status ille est, si sub repetito pur-

D 4 gan-



ganeium usu ægro valde langvido, & concoctione fere destructa, Ophthalmia semper adhuc remaneat, ubi certissimum remedium tunc contra Ophthalmiam est cortex peruvianus interne sumtus a).

Circumspecte etiam quam plurimi auctores de evacuantibus per alvum scribunt, & inter alios ROWLEY raro alvum ducentibus uti nisi in primis viis fuerint sordes & GENDRON summa cum cautione in morbi decremento purgare movent, nec non cel. SCHMUCKER etiam nonnisi levia purgantia suadet. Interim tamen in gravissimo & pertinacissimo malo venæ sectionibus universalibus & particularibus nihil proficientibus purgans drasticum indicatum esse negabit nemo.

Cæterum sordes ad intestina depositæ ad hæc clysmatibus præcipue in Ophthalmia sicca, vel levibus purgantibus præcipue in humida evacuentur.

§. XXV. *Quartum remedium est nitrum.*

Sequitur nunc quartum medicamentum Ophthalmiæ opponendum, intelligo nitrum, diluentia, resolventia, saponacea, refrigerantia, & febrem jugulantia, remedia illa egregia nacta jam ab antiquissimis temporibus.

a) RICHTER vom grauen Staat p. 169.



poribus titulum in hoc morbo primorum, & ad præcavenda mala ex plethora oriunda præstantissimorum præsidiorum, ita ut nemo amplius de præstantissima eorum efficacitate, & singulari excellentia dubitare audeat. Expertissimus exinde BOERHAAVIUS a) potius fœniculo, euphrasia, & millepedibus convenire ait nitrum, mixturas antiphlogisticas, atque ptisanas hordeaceas & ROWLEY b) adeo nitri laudes prosequitur, ut post venæ sectionem nitro statim dato & diætâ convenienti medica quamvis se Ophthalmiam fugare gloriatur. Circa nitri usum vero bene notetur, quod nitrum solummodo in febris vehementia conveniat, in fine morbi vero debilitet, nec non quod debilibus circumspecte dandum fuerit non nisi initio moxque ab eo abstinenceatur.

§. XXVI. *Quinto quædam de reliquorum revellentium usu.*

Cæterum secundo etiam effectu sicuti in reliquis morbis inflammatoriis & alia revellentia ut gargarismata, clysmata emollientia, balnea c), pediluvia d), sinapismi axillis,

D 5

geni-

a) BOERHAAVE l. c. p. 52.

b) ROWLEY l. c.

c) GALENIUS aph. l. VI. n. 31. 1.

d) At notandum est, non convenire pediluvia urgente plethora



genibus & plantis pedum applicati, & vapores adhuc ab HIPPOCRATE adeo recommendati in usum trahi possunt.

§. XXVII. *Sexto Vesicantia.*

Multum disputarunt Auctores quid de vesicatoriorum usu affirmando vel negando sentiendum sit. Dubii eventus esse vesicatoria scribit BOERHAAVE *a)*, solemnia dorso applicata habet SAINT-YVES *b)*, inque vehementi Ophthalmia recommendat SCHUSTER *c)*. Non convenire presentibus spasmis vehementioribus vel motibus inflammatoriiis universalibus confirmat cel. LUDWIG *d)* & quod dolores sine emolumento pariant addit ROWLEY; dubius ODHEELIO eorum effectus videtur, quoniam continent sal alcali in sanguinem resorptum inflammationem stimulando augens, & recentiores omnes in omnibus morbis inflammatoriiis vehementem-

thora valida, sed post factas depletiones sufficientes, & dein pediluvia esse debent tepida, iisque ne utatur xger pro unica vice ultra circiter 15 minuta, aliter humorum motum & malum augent.

a) BOERHAAVE l. c. p. 50.

b) SAINT-YVES cap. VI. art. IX. p. 206.

c) SCHUSTER. l. c.

d) LUDWIG institutiones med. clinic.

hementibus vesicatoria rejiciunt a). Inter tot
tantasque diversas Auctorum sententias liceat
mihi meam etiam proponere opinionem, ea-
que recensere, quæ multiplex & certa ex-
perientia circa vesicantia edocuit, bene enim an-
notante cel. RICHTER non conveniunt vesicato-
ria in omni Ophthalmia nec omni ejus stadio,
sed levamen ab ipsis sperandum est solummodo
tunc, si originem duxerit Ophthalmia ab
exanthemate retrogresso, vel ulcere exsic-
cato, in effluxu copioso ex oculo, & in fine
Ophthalmiæ acutæ. Circa eorum applicatio-
nem vero attendendum est, ut fiat lata prope
ad locum affectum ut nuchæ, post aures,
regioni temporali, immo ipsis palpebris ag-
glutinentur diuque in actione sustententur. b)

§. XXVIII. *Septimo promotio transpi-
rationis.*

Quo magis resistentia sanguinis removea-
tur salubre remedium est in gravi Ophthal-
mia ut crines descendantur, caputque frice-
tur ad aperiendos capitis poros & transpira-
tionem promovendam.

§. XXIX.

a) TRAUBES de usu vesicantium in acutis. 1776.
Vratislav.

b) PRINGLE l. c. p. 158.



§. XXIX. *Quid sperandum ab externis,
& quando illa usurpanda?*

Moderata

~~Effrenata~~ jam morbi vehementia, remotisque congestionibus continuis collyria refrigerantia, discutientia leviterque adstringentia etiam applicari possunt *a*). Ex eorum tribu selectissima sunt solutio aluminis & sacchari saturni in aqua rosarum *b*), decoctum cortic. peruv. per se vel cum alumine, aqua vegeto mineralis GOULARDI *c*), TAYLORI collyrium

ex

a) Hinc facile liquet 1. quare collyria spirituosam multis in Ophthalmiis adeo elata incongrua tamen sint, quia oculum simul exstuant & inde inflammationem augent. 2. Quare axungia viperarum (quam ante SLOANEUM in E. N. C. dec. II. ann. II. obs. 25. adversus Ophthalmias laudavit WOLFGANG. WEDEL & FR. HOFFMANN in med. rat. systemat. T. IV. p. III.) omniaque unguenta noxia pariter pronuntianda fuerint, relaxant enim oculum & perspirationem turbant. 3. Et quare terrea in oculo irresolubilia & hinc stimulantia inflammationem augeant, unde etiam unguentum SLOANET adeo celebratum tamen nullam in Ophthalmiis laudem mereri consentiunt cel. ROWLEY & RICHTER.

b) Albumen ovi cum alumine tritum palpebras conglutinat, ideo vix hic locum meretur.

c) Aquam veg. min. in Ophthalmiis chronicis multum prestare monet cel. RICHTER, quia tarde operatur. ceterum de ea vide FOURPART in Journal. de medecin T. 39. GUERIN l. c. & PRINGLE l. c. p. 160.

ex aqua rosarum, sale ammoniaco, & saccharo saturni a), aliaque collyria bene concinnata communicavit cel. THEDEN b). In tali collyrio omni bi vel trihorio linteolo madefacto oculus tegi, vel quod melius, instillari in oculum possunt hæc collyria ægro in dorso cubante, quum forma balnei usurpata congestiones versus caput, ægroque molestiam pariant.

Rheumatici vero, arthritici & qui humida non ferunt usurpent collyria sicca.

§. XXX. *An convenient diaphoretica?*

Supereft adhuc ut verbum dicam de usu diaphoreticorum leviorum in Ophthalmia. Non erit autem hic meum omnes illos casus determinare, in quibus diaphoretica pro diversa morbi natura indicentur. Sufficiat mihi brevitatis causa tantum mentionem facere præstantissimæ eorum salubritatis in fine morbi, quæ ubi oculi non adeo rubent, humores ex superficie spargunt, & Ophthalmia languescit, exhibita morbum feliciter fugant, eaque methodo sæpe fugasse communicavit cel. RICHTER.

§. XXXI.

a) Fusc ejus præstantiam prosequitur ROSENSTEIN in der Reise u. Hausapotheke.

b) THEDEN neue Bemerkungen p. 191-192.



S. XXXI. *Exponuntur nonnulli morbi
vulgares Chemosi, & Pblegmoni
succedentes.*

Quæ mala Ophthalmiæ succedant ex supra dictis facile patebit, & quæ remedia his morbis opponenda fuerint, alio loco urgeri debet; vulgatissimi tamen morbi isti sunt hypopium, maculæ corneæ, & varices. Pus in oculo formatum discuti vel incisione in corneam educi debet; a) si vero nihilominus vel ob morbi vehementiam vel neglectum morbum pus exederit corneam, de alio cogitandum non erit, quam ut bulbus idoneus oculo artificiali reddatur.

Quodsi fasciculus vasorum varicosorum in conjunctiva lacrymarum fluxum sustentans remaneat, adstringentia versus eum adhibenda sunt, iis vero nihil proficientibus oculi phlebotomia suscipiatur, qua vasa illa extensa cultello ad cataractam directe discinduntur, hæmorrhagiaque inde enata decocto althææ promovetur. Et tandem in maculis corneæ multum præstare vitriolum album cum vesicantibus expertum est, in pertinaciori
ta-

a) MAUCHART *disc. de hypopio*, & *disc. de empyesi oculi*. Tub 1742. RICHARD DE HAUTESIERRE *recueil d'obs. de Med.* JANIN I. C. RICHTER I. C. *incurabile ergo* (quod negat BOERHAAVE & NUPCEMACERIDE) non est hypopium.



tamen malo venæ sectiones & alvum sollicitantia ad animi deliquium recommendant BOERHAAVE & ROWLEY, cum iisque conjungit adhuc pulsatillam Ill. STÖRCK a).

§. XXXII. *Præcavendas esse recidivas ostenditur.*

Facile & distincte ex præmissis elucebit, quam necessaria sit ultima indicatio oculum tandem præcavendi a recidivis, quæ ex debilitate oculi a morbo inducta sæpissime fiunt. Satisfaciunt huic indicationi optime infusum theæ frigidum b), lapis divinus in aqua rosarum solutus, spir. vini camphor. vinum ophthalmicum IANINI, minera ferri in aqua soluta, decoctum corticis peruv. omniumque præstantissimum remedium habetur aqua frigida, cujus egregias virtutes præsertim recentiorum multiplices observationes adeo de prædicarunt, ut artis medicæ facile principes BOERHAAVIUS c), & HEISTERUS d) tanta aquæ encomia in oculorum varijs morbis tribue-

a) STÖRCK T. I. p. 272. l. c.

b) Fränkische Sammlungen. T. II. p. 88.

c) BOERHAAVE El. Chymix T. I. p. 607.

d) HEISTER Med. Chir. und anatomische Wahrnehmungen. T. I. p. 230.

tribuerent & ODHELIUS ea se sola Ophthalmias debellasse confirmet a).

§. XXXIII. *De Diæta.*

Diæta ut in aliis febribus inflammatoriis esse debet demulcens acidula vegetabilis eoque continuata, donec omnis cum febre deletus fuerit rubor, ne Ophthalmia prolongetur vel repetat, recidivæ enim observante NEIFELD oculum rumpunt. Assveto tamen denegari omnia non possunt, & præcipuè debilibus lenia nutrientia, in quem census venit modicus carnis usus, quem concedi tuto posse experientia confirmavit. Adhæc omnis corporis motus, animi affectus, transpirationis perturbatio, & obstructio alvi sedulo evitetur.

§. XXXIV. *Monita practica.*

Eorum sequentia potissimum notanda veniunt:

- I. Maxima fere medici cura esto, eo eniti, ut quævis stimulantia sedulo ab oculo avertantur; hinc GENDRONII b) consilium, quo suadet, ut in oculum inflamma-

a) ODHELIUS l. c. Nemo statuit etiam III. STÖRCK T. I. p. 84. l. c. determinat tamen usum aquæ frigidæ ad Ophthalmias ex causa externa ortas.

b) GENDRON l. c. T. II. p. 177.



matum interdum lux immittatur, ne iris quiete constrictionem amittat, iisdem ex causis ut ODHEELII facile ruit.

2. Ægro dolore enormi vexato foveatur oculus lacte, decocto althææ, croco, opio.
3. Nocent adstringentia in vigore morbi applicata; hinc GALENUS a) valde inflammatis acria & adstringentia noxia fuisse vidit, additque Ill. SWIETENIUS b) quod ea quandoque immedicabilem cæcitatem fecere.
4. Præferuntur in Ophthalmia sicca emollientia aliis tam ad præcavendam obscurationem corneæ, quam etiam sedandos dolores. Continuata vero post minutam inflammationem nimis diu deteriore morbi statum faciunt suppurationem periculofam excitando animadvertente Ill. STÖRCK c).
5. Urgente Ophthalmia graviore tepidis foveatur oculus, ne exsiccetur, pelluciditatem amittat vel ut annotavit BOERHAAVIUS d) cum palpebris concrefcant.

E

7. De-

a) GALENUS libr. v.

b) SWIETENII commentar. t. III. p. 360.

c) STÖRCK l. c. t. I. p. 81.

d) BOERHAAVE l. c. p. 57.



6. Debilibus maxime arident lenia diaphoretica & vesicantia.
7. Degenerante dein Ophthalmia in levem & chronicam oculus non tegendus sed apertus servandus ac sæpe aqua frigida humectandus est.
8. Et superato tandem morbo internis quoque remediis pristinum corporis robur restaretur, eique indicationi optime satisfacit cortex peruv. interne sumtus.

§. XXXV. *Sectioni de Chemosi & Pblegmonæ additur recensio brevis aliarum methodorum sanandæ Ophthalmiæ acutæ.*

- I. Omissis nonnullis specificis in Ophthalmiis a veteribus jam laudatis nunc vero penitus ob inertiam rejectis primo absolvam verbo historiam magnetismi in curandis Ophthalmiis. Primus magnetis mentionem iniecit cel. WEBER a) in sananda Ophthalmia ex singulari observatione deprædicati, ubi ex immisso magneti in meatum auditorium externum ægri Ophthalmia laborantis cessare Ophthalmiam vidit, quumque in eo casu ce-
rumen

a) WEBER die Wirkung des künstlichen Magnets in einem seltenen Augenschler an die königl. Societät der Wissenschaften nach Göttingen gesendet. 1767. Hannover.

rumen aurium copiosum dein ex aure emanabat, Ophthalmiæ causam in cerumine quærit, magnetique vim attractricem cum cerumine tribuit, quod tamen neutrum adhuc satis probatum est. Post WEBERUM quantum scio a nullo experimenta cum magnete in Ophthalmia sunt continuata; hinc conjecturas aliquorum tangere nolo, potiusque ejus efficaciam in suspenso mitto.

2. Multo majoris momenti haberi debet methodus CEL. WARNERI *a)*, quæ sequens est: primo ubi necessitas urget venam secat, & omni altero die mercurialia sola vel ubi diarrhæas excitant, cum semine papav. combinata sumi jubet, sequenti mane præscribit levia purgantia, & tempore intermedio interponit antiphlogistica, levata dein inflammatione interne corticem peruv. & externe adstringentia adhibet.
3. Præmissis antiphlogisticis jam minuta sed languente Ophthalmia optimi usus esse pulsatillam & cicutam novis experimentis edocuit Ill. STÖRCK *b)*.

E 2

§. XXXVI.

a) WARNER a description of the human Eye. 1773. London.

b) STÖRCK libellus de usu medico pulsatillæ nigricantis & medicinischer Unterricht T. 1. p. 82.



§. XXXVI. *Medela tertiæ speciei Ophthalmiæ acutæ sicca nempe Taraxeos.*

Eadem remedia poscit Taraxis ad obtinendam curam ut Chemosis, secundum mihiorem vero morbi gradum est simplicior & levior. Sufficiunt plerumque repetitæ scarificationes & hirudines *a)*, diætâ antiphlogistica, immo aliquando purgans; & collyrium.

Ex classe externorum pro summo quam plurimum remedio gloriari vitriolum album suadent experimenta repetita, quibus evictum est exiguo interjecto tempore eo sæpissime levare morbum. Reticenda tamen non est etiam Auctorum observatio ex vitrioli albi usu nata incertum nonnunquam esse remedium & fallere.

§. XXXVII. *Cura Ophthalmiæ acutæ, humidæ.*

Quamvis Ophthalmia acuta humida omnium Ophthalmiarum periculosissima videatur, ad curam vere pauca requirit, quæque hic agenda sunt, consistunt potissimum in eo, ut coctionis impedimenta removeantur, & humores acres ex oculo enatantes mucilaginosi qualia sunt lac tepidum, solutio gummi arab. tragacanth. vel sem. cydon. albumen ovi
in

a) BOERHAAVE p. 48. l. c.

in aqua quadam solutum aut cum saccharo tri-
tum, vel decoctum malvæ & althææ, obvol-
ventur a).

Raro venæ sectio indicata erit, quia raro
vehementiora sunt symptomata & ætas pue-
rilis præcipue hoc afficitur morbo, febre ta-
men urgente exhiberi possunt nitrosa, in illa
vero ut vulgo moderata optime convenit con-
nubium pillularum ex tribus granis campho-
ræ, duobus granis mercurii dulcis, grano uno
kerm. min. & conservæ rosar. q. s. omni mane
sumptum, quod familiare erat Fautori ac Præce-
ptori mihi immortalis cel. QUARIN, & pro potu
dec. althææ cum infuso florum samb. Præ-
terea diæta per totum morbum antiphlogisti-
ca observetur, & cave ne fluxum lacryma-
rum acrium fascia cohibeas.

Ad effluxum humorum nimium ex oculo
avertendum egregie inserviunt levia purgantia,

E 3 fe-

a) ROWLEY l. c. Histoire de l' acad. de scienc. a Par.
1749. huc pertinet quoque formula egregia, cujus men-
tionem nuper fecit cel. TRILLERUS, quamque optimi emo-
lumentum invenit Ill. QUARIN, quæ sequens est ꝑ. gummi tra-
gacanth. ʒj mucilag. sem. cydon. ʒjß aquæ rosar q. s. ut
fiat collyrium mediocris consistentiæ, quod instilletur
guttatim oculo & externe etiam linteola eo mæde-
facta applicentur.



vesicatoria *b*), setacea *a*) & cucurbitulæ siccæ. Caterum removeatur sæpius linteolum oculo superfixum, ne frigefactum excoriet oculum, & cave oculum pituita clausum aperire, ne febris in coctione turbetur, natura enim expedita gluten palpebras connectens evanescit, & bulbus oculi pristina sanitate gaudens existat. Tandem soluto morbo roboretur oculus vino ophthalmico IANINI aut aqua frigida.

§. XXVIII. *Curatio tandem Xerophthalmiæ.*

Superfluum vere foret, si plura quoque de ista Ophthalmiæ specie dicere vellem, quum satis ex Chemoseos medela elucescat. Illud saltem hic præcipuè erit observandum, ut in tanta oculi siccitate sæpius oculi humectantibus foveantur, hisque dolor & concretionis metus avertatur.

§. XXXIX. *Appendix ad Ophtalmias acutas.*

Memor illius, quæ supra in sectione de removendis causis statui me infra fusius de nonnullis ex acrimonia sanguinis oriundis Ophthalmiis dicturum fore, opportuno igitur

a) THEDEN *Neue Bemerkungen.* p. 191.

b) HILDANI *Epistolæ ad amicos* Bas. 1619. THEDEN

I. C. HORST. *cent. problematum med.* Ulm. 1636



tur hoc loco de Ophthalmia venerea, scorbutica & periodica agam.

§. XL. *De Ophthalmia venerea, ejus divisione, decursu, & cura.*

Decurrit Ophthalmia venerea modo acute modo chronice, estque symptoma luis venereæ & mercurio debellatur, vel ortum ex gonorrhœa suppressa haurit, triplicique sequenti modo sistitur:

In prima nempe specie oculus gravi afficitur rubore, dolores nocte præsertim consequuntur acerbissimi, in graviore malo camera oculi materia translata plus vel minus turgent, & ex oculo fluit materia acris ejusdemque coloris ut ante diem ex urethra a).

In altera specie adeo attollitur conjunctiva, ac si cornea profunde quasi in fossa quadam hæreret, tumorque ille vere flavus est, & in se continet materiam qualis est gonorrhœica b).

Interdum vera tantum adest Taraxis.

Quod causas hujus Ophthalmiæ attinet, ergo derivatur illa ex gonorrhœa tam in

E 4 quam

a) SCHMUCKER Chir. Wahrnehmungen T. I. & CEZAN des malad. vener. 1774. a Paris.

b) CAMERARIUS diss. de Ophthalmia venerea, & peculiari in illa operatione. Tub. 1734. PRESSAVIEN traité des malad. vener. 1773. Paris.



quam externis adstringentibus suppressa metastatice, qua se gonorrhœæ materia ad oculum deponit, eumque irritat a), nec non ex contagio, quando manu, qua ante penis gonorrhœicus tactus fuerat, bulbus oculi teritur, & quidquam ejus materiæ gonorrhœicæ inoculatur, qualia exempla adducit ILL. SWIETEN, b) & tertium infectionis modum docet cel. SAUVAGES in chirurgo Monspeliensi, qui decumbendo supra pulvinar ptyalismo syphilitici conspurcatum contraxerat sibi Ophthalmiam veneream c).

Pe-

a) SAINT-YVES J. C. p. 183. art. X. Cap. IV. ASTRUC de morbis venereis libr. III. Cap. III. JOURNAL de med. T. 36. Notandum autem est his metastasibus non solum viros objectos esse sed etiam feminas, quamvis nulla apud Auctores ejusdem mentio fiat. Certe talem Ophthalmiam observavit Fautor mihi ad cineres usque colendus, cui maximo voluptatis sensu, animoque gratissimo hic publice ob insignem & multifariam in me collatam benevolentiam, gratias, quas possum, adferre debeo maximas, cel. PROF. PLENEK in femina ex fluore albo injecta aqua calcis suppressa, quæ fluore albo redeunte rursus cessavit.

b) SWIETENI commentar. T. V. p. 432.

c) SAUVAGES nosol. meth. T. II. p. 37. Vener.



Periculosissima omnium est hæc Ophthalmia, eo enim annotante ROWLEY *a*), præcipue ab aliis distingvitur, quod corneam præsertim afficiat, & prius oculum testante ILL. SWIETEN destruat, quam mercurialia vim suam exferere possunt, vidique (quod annotavit etiam cel. SCHMUCKER) aliquot dierum spatio oculi ruptionem aut maculas corneæ & staphylomata modo citius modo serius succedere. Curatu tamen faciliorem ex contagio quam metastasi animadvertit ILL. SWIETEN cum cel. ASTRUC.

Quoad curam sciendum est Ophthalmiam ex contagio mercurium poscere, ex suppressa vero gonorrhœa ea revocata sanari: de hac igitur ulterius agam secundum diversas species.

Effluente itaque materia gonorrhœica ex oculo amovetur a bulbo ad penem & gonorrhœa restituitur venæ sectione tam universali, quam partiali, fomentationibus circa genitalia emollientibus, pediluviiis, injectionibus emollientibus in urethram, lotionè penis in lacte, & levibus purgantibus ex nitro & rhabarbar. *b*); iisque adhibitis incassum baccilli cerei stimulandi scopo in urethram injici, &

E 5

ocu-

a) ROWLEY on the diseases of the Eyes 1773.

London.

b) SCHMUCKER I. c.



oculo unguentum de mercurio præcip. rubro applicari debet. Interim quod interdum evenit, si nec ista in rebeli morbo spei satisficiant, iisque gonorrhœa restitui nequeat, venæ sectione & temperantibus suppurationis oculi metus avertetur, & mercurio in & externe adhibito virus celticum destrui studeatur a).

Lectu digna etiam sunt, quæ ill. STÖRCKIUS b) testatur se nonnunquam in Ophthalmia venerea millepedibus, scammono & antimonio diaphor. plus quam mercurio pro fecisse.

Dein

a) Cæterum videas de præstantia hujus methodi celschmucker venæ sectione, revellentibus & temperantibus gonorrhœam revocantem, & ita Ophthalmiam sanantem, cel. MARIÈVES baccillis cereis & interno mercurii usu in malo pertinaciori eundem scopum obtinentem, cel. IANIN Ophthalmiam jam inveteratam interne mercurio subl. & extern. aqua mercuriali fugantem; & cel. PROF. PLENCK Chemosin veneream ex suppressa gonorrhœa natam post varia frustra tentata remedia bis curavit mercurio gummoso in lacte cocto, quo oculos mediante parvo vasculo vitreo balneabat juncto simul interno mercurii usu, & puellæ 4 annorum eodem balneo ab hypopio venereo penitus jam cæca visum restituit, quod mihi benignissime communicavit celeberrimus Vir.

b) STÖRCK annus med. II. p. 225.



Dein si conjunctiva (quæ est altera Ophthalmiæ venereæ a gonorrhœa suppressa species) a materia gonorrhœica in tumorem elata fuerit, remediis ante enumeratis gonorrhœa revocanda est, sique brevi temporis spatio interjecto non cedat in fili per conjunctivam trajecti superficie anteriori inscindenda vel penitus monente CAMERARIO abscindenda conjunctiva est a); nec ullam inde deformitatem oriri referunt Auctores recensiti.

§. XLI. *Continuatio medelæ Ophthalmiæ ex gonorrhœa suppressa recensione alius methodi.*

Hæc ante in priori paragrapho enarrata remedia illa fuere, quæ in praxi privata facillime applicari possunt, vel adhucdum ut plurimum applicata sunt a Practicis. Liceat mihi nunc aliam proponere methodum, ex qua multoties Viennæ in nosocomio militari Gumpendorfensi in testiculis venereis ex gonorrhœa suppressa optimum vidi effectum, ita ut omnibus eam aliis remediis antenere nullatenus dubitare possim. Primus quantum scio cl. HIRSCHEL b) mentionem

a) CAMERARIUS I. C. PRESSAVIEN I. C.

b) HIRSCHEL Betrachtungen über den izigen Gebrauch des mercurii sublimati corrosivi. 1765. Berlin.



nem inoculationis in testiculo venereo ex gonorrhœa suppressa orto semel institutæ mance quidem injecit, nec legi Auctorem ullum, qui idem experimentum dein continuasset ultro. Sed non solis testiculis venereis, verum etiam aliis morbis ex gonorrhœa suppressa caussatis præprimis ubi aliis remediis nullo modo revocari gonorrhœa potest, mederi inoculatione posse suadet analogia. Methodus autem gonorrhœam per inoculationem revocandi absolvitur sequentibus: Nempe immittitur in urethram viro gonorrhœa virulentissima laboranti baccillus cereus, isque per aliquod tempus *a*) in ea relinquitur donec baccillus bene materia gonorrhœica inunctus fuerit. Nunc introtruditur confestim baccillus venereus iste in urethram hominis adstantis morbo ex gonorrhœa suppressa laborantis, ibique per 3-6 horas aservatur, donec ardor & reliqua gonorrhœæ veræ symptomata apparuerint. Gonorrhœa præsens dein tractatur secundum artis principia *b*).

§. XLII.

a) Differt tempus hoc, & prout materia gonorrhœica plus vel minus virulenta, plus vel minus temporis poscitur.

b) Hac occasione non possum non memorabilem aliquem adicere casum, licet, huc minus pertinere videatur. Miles 30 annorum laborans scirrho testiculi sinistri æquante

§. XLII. *Ophthalmia Scorbutica.*

Observatur hic morbus quoque acutus modo chronicus, quumque symptoma scorbuti constituat, spiritu vitrioli, & herbis antiscorbuticis eradicandus est.

§. XLIII.

æquante duorum pugnorum magnitudinem, & gaudente duritie lignea, ad tactum tantum dolente ex gonorrhœa ante quatuor annos suppressa causato, post varia in variis nosocomiis tentata remedia accessit anno 1775. mensè Nov. ad cl. ODENKIRCHEN meritissimum Chirurzum præfectum nosocomii militaris Gumpendorfenfis, quod Viennæ est, ejusque manum auxiliatricem petiit. Tentavit ipse quoque varia in hoc morbo laudata remedia sed frustra. Ergo incertus quidem de felici successu in tam inveterato malo an ab inoculatione salus sperari possit, tamen eam suavitè chirurgis adstantibus, & militi baccillum venereum immisit in urethram, ibique per 7tem horas reliquit, quo temporis spatio interjecto ipsa sane cum singulis suis symptomatibus apparere incepit gonorrhœa, quam altero die binis novis baccillis immisissis ita auxit, ut rivi instar flueret, nuncque eam lege artis tractavit. Et vere sub ejus decursu minui animadvertit testiculum, novam ergo fecit inoculationem, eamque jam ad finem vergentem tam sæpe repetiit, donec decem hebdomadum spatio testiculus sinister affectus ita resolutus fuerit, ut sano perfecte similis esset. Hoc experimentum dein sapissime in vitiis testiculorum modo recentibus modo antiquioribus in eodem nosocomio repeti vidi & semper optimo cum successu. Sat

CR-



§. XLIII. *Ophthalmia periodica.*

His binis Ophthalmiis adjungam quædam de Ophthalmia periodica, tam quia valde peculiaris est originis, quam quia etiam curam aliam quam Ophthalmiæ generalem pofcit. Singularis vere morbi titulum omnino meretur hæc Ophthalmia & cognitu sæpe difficillimi, si excipias periodum, conjuncta tamen ut pluri-

encomiis ornabat etiam cel. PROF. CHIRURG. LEBER in collegiis suis in scirhis testium ex gonorrhœa suppressa hanc inoculationem; ea tamen differentia, ut materiam gonorrhœæ benignam pro contagio sumendam suaderet. Facta sunt inde experimenta etiam cum hac benigna materia in nosocomio Gumpendorfsensi, verum in permultis nulla orfebatur gonorrhœa, in aliis vero mucosa tantum morbum plane non tollens; Nec video quid ob stare posset virulentam sumere materiam, quum ex tot inoculatis nullam viderim damnum. Notandum autem circa inoculationem est, differre tempus resolutionis testis secundum morbi vetustatem vel novitatem, & in duro & vetusto testiculo aliquoties repetendam esse inoculationem, uti ex casu ante memorato patet, in junioribus vero unam sæpe inoculationem sufficere, nec non bacillo venereo plus ternis vicibus urethæ immisso ulcera sequi visa esse. Monere pariter debeo, observari etiam homines ubi nulla ratione materia etiam virulentissima gonorrhœa excitari potest, ita vidi mense Aug. militem, ubi ob testem venereum septies frustra bacillus gonorrhœicus injectus

Aus



rimum sequentibus modo pluribus, modo paucioribus signis eam concomitantibus occurrit. Interdum nempe eam præcedunt lassitudo, oscitatio, pandiculatio, & leve frigus, interdum nil eorum, nuncque ea excipit atrox oculi dolor cum illacrymatione, siti præternaturali, pulsu febrili, urina lateritia, modo cum modo sine oculi rubore & sæpe subsequente levi sudore certo tempore rediens.

Quum hæ Ophthalmiæ plerumque ex hypochondriis originem ducant, ergo cura resolventibus, evacuantibus & dein cortice peruv. absolvi debet; causata vero Ophthalmia periodica ex suppressa quadam evacuatione naturali, ea revocetur necesse est.

§. XLIV.

ctus erat, plerumque tamen primo, secundo aut tertio bacillo venereo excitatur gonorrhœa.

Quum vero in praxi privata non semper habeat medicus ægros gonorrhœicos, adeoque talibus ægris morbis ex gonorrhœa suppressa laborantibus hac methodo succurri statim non semper posse viderem, cogitavi num non etiam virus gonorrhœicum ut variolosum (quum tamen varioloso multo fixius sit) conservari, & post aliquod tempus eo gonorrhœa excitari posset. Fecit idem cl. ODENKIRCHEN septem bacillis bombice obductis, quorum quinque priores per quinque, duo posteriores per 4 menses vitro bene obturato servati erant; sed ex unico posteriorum tantum gonorrhœa levis apparuit, quæ penitus testiculum resolvere non potuit. Reiteranda ergo sunt experimenta.



§. XLIV. *De Ophthalmiis chronicis
in Genere.*

Ophthalmiæ chronicæ ex iisdem caussis ut acutæ nascuntur, & eadem symptomata mitiori tantum gradu absque febre habent, curatu tamen difficiliores sunt & multum in earum cura interest, ut vera eruatur caussa. Earum præcipuas proferam, quum omnes enarrare non liceat.

§. XLV. *Pertractatio Ophthalmiarum
chronicarum in specie, & quidem 1^{mo}
ficcarum, cujus prima variolosa.*

Venio igitur nunc ad describendam primam Ophthalmiarum chronicarum ficcarum speciem variolosam nempe Ophthalmiam periculosissimam fere, curatu difficillimam & per plures interdum annos durantem *a*). Quo sât gravia hæc nunc enarrata discrimina existent, eo magis adhuc gravatur medela Autorum discrepantia magna circa determinandas causas harum Ophthalmiarum veras; plurimi enim, inter quos primus est ODHEELIUS *b*) & ROWLEY *c*) eam in neglecta palpebra-

a) Talem chronicam inß. oculi decem & quinque annorum vidi Viennæ in femina.

b) ODHEELIUS l. c.

c) ROWLEY a treatise on the princip. diseases of the Eyes. 1773. London.

pebrarum distensione in variolarum decursu & inde impedito effluxu humorum tandem stagnantium & acrimonia inflammationem oculo inferentium quærunt. Negare vero hoc assertum videntur observata virorum doctissimorum, & inter alia cel. LUDWIGI *a)* & RICHTERI, nullos enim cel. LUDWIG affectos Ophthalmiis vidit, quibus oculi clausi fuerint, contra Ophthalmiis chronicis vexatos esse, si externa applicata essent, hisque adhuc addo, quod ob tumentes palpebras lacrymarum effluxus cohibitus non sit, semper enim in cantho oculi interno pituita reperitur, adhæc omnes Ophthalmiæ variolosæ non oriuntur in decursu variolarum, sed post duas tresve hebdomades a curato morbo, quomodo ergo ab acrimonia aquæ derivabis Ophthalmiam. Verisimilior igitur multum videtur ratio illa, quam proposuit nuper cel. RICHTER *b)* quod genesin agnoscat hæc Ophthalmiæ ex metastasi ad oculum facta, eæque præcipue animadvertuntur in variolis malignis, neglectis purgantibus sufficientibus in stadio exsiccationis, a transpiratione post morbum suppressa, carniisque nimis maturo usu.

F

Quo-

a) ADVERSAR. medico - pract. Vol. I. P. IV. p. 473.

b) COMMENTAR. GÖTTINGENS. NOVI T. IV.



Quoad exitum notandum est sæpissime terminari has Ophthalmias in maculas corneæ & staphylomata.

Absolvitur tandem medela mercurialibus, antimonialibus, ulceribus artificialibus, balneis & præcipue crebrioribus purgationibus a). An vero hic etiam quid a cortice peruv. interne sumto sperandum sit, & in quam hujus Ophthalmiæ causa, certis experimentis evincere operæ pretium esset.

§. XLVI. *Altera Ophthalmia chronica sicca scrophulosa.*

Hic frequens valde morbus est, præprie puerilem ætatem afficit, & quam sæpissime ejus causa in præscribendis remediis ignoratur.

Quod diagnosin spectat, morbus sequentibus signis pathognomicis characterifatur: habitus ægri est pallidus & œdematosus, palpebræ tument maxime lippitudine viscosa obductæ, conjunctiva rubra subtumida, pulsus debilis, æger morosus, lacrymæ acres, a quibuscunque evacuantibus valde debilitatur æger, & imprimis in collo scrophulæ se manifestant. Ad hunc sanandum morbum

a) eadem ratione curanda est Ophthalmia morbillosa & ceteræ ejusdem naturæ. QUARIN methodus med. febrium p. 108.



bum svasit nuper cel. BISSET *a*) ambobus inflammatis oculis fetaceum per glandulam in mediam partem sub sterno, uno vero inflammato oculo illud eo latere in angulo maxillæ applicari. Attamen quum remedia faciliora & præstantiora habeamus, abstinendum ab operatione merito putamus, eaque remedia sunt cortex peruv. in & externe adhibitus *b*), sapo venetus *c*), mercurius dulcis, antimonialia & cicuta *d*).

F 2

XLVII.

a) BISSET *medical Essays and observations. p. 119.*

b) BISSET L. C. FORDYCE *med. obs. & inquir. t. I.*

c) PLENCK *Anfangsgründe der chirurgischen Vorberereitungswissenschaften 3. Theil. p. 54. Wienn 1775.*

d) PALLAS *Chirurgie p. 83. Non negligenda sunt etiam nova circa cicutæ usum instituta experimenta, multum enim interest in medela, quomodo exhibeatur cicuta. Plura de his vide MEDIC. OBS. and/INQUIRIES. VOL. III. p. 229. Med. transact. t. I. Med. and. philos. commentar. by a Soc. in Edensburg. & sparsum opera III. STÖRCKII: & nuper industriosissimus medicamentorum indagator medicusque felicissimus III. COLLIN, cujus nosocomii ægris mihi etiam adfuisse valde gratulor, experimentis evicit extractum siorum cicutæ palmam præcipere extracto herbæ ob vim fortius resolventem & diureticam, quæ ansam cel. viro dedit, ut eam etiam in morbis, ubi diuretica cum resolventibus indicantur, exhiberet, & vere in hydrope ex obstructione, hydrope pectoris & præsertim articuli præstantissimos inde effectus in nosocomio suo vidi. Egre-*
gia



§. XLVII. *Tertia Ophthalmia chronica, sicca est venerea,*

Producit ophthalmiam veneream venenum celticum in corpore delitescens, & modo citius modo serius, sæpe post aliquot annos, modo in oculis solis modo simul etiam in aliis corporis partibus prorumpens. Apparet ea nonnisi lue venerea jamjam multum protracta, modice levis existit, ad noctem augetur, versus auroram remittit & aliis potius familiaris est infantibus junioribus viru celtico a matre inquinatis. Tollitur ergo morbus interne mercurii a) & externe unguenti de mercurio præc. rubro usu.

§. XLVIII.

gia etiam sunt, quæ habet LEMOIN in Journal de Medecine T. 31. iste ægro Ophthalmia laboranti succi expressi dedit bis duo cochl. prothea per diem & demum dimidium poculum vini sine singulari aversatione vel incommodo, & feliciter morbo finem fecit.

a) Nec iners invenit etiam CEL. QUARIN antimonium in morbo celtico præsertim cum vitio ossium conjuncto, immo sæpe morbum istum mercurio resistentem conuulso ex antimonio crudo & sulphure apyr. cum decoct. farfapar. interpositis levibus purgantibus ex mercurio dulci & jalappa felicissime profligavit.

§. XLVIII. *Quarto Ophthalmia ex hæ-
morrhoidibus, aut mensibus suppressis
vel turbatis.*

Indicatur in hoc morbo revocatio hæmor-
rhoidum & mensium solventibus diluentibus,
tenui diæta, derivantibus ut cucurbitulis sic-
cis ossi sacro & lateri femoris interno applica-
tis, pediluvii, vaporibus & hirudinibus.
Hacque methodo SCHULZ a) hirudinibus
omnes ex causâ hæmorrhoidali sustulisse glo-
riatur Ophthalmias, atque cel. IANINUS post
viginti & quatuor horas hirudinibus affixis
menses fluentes vidit b).

§. XLIX. *Ophthalmia ex retropulso ex-
anthemate quodam.*

Retropulsa scabies vel alia quæcunque
excretio cutanea & ad oculum translata
revocari debet vesicatoriis ad locum retro-
gressæ materiæ agglutinatis, lotione manus
cum chamomilla, flor. samb. & sap. venet.
& frictionibus laneis c), quibus interne
adjungi bene potest moschus, camph. flor. sulphu-
ris & præsertim spiritus fuliginis cum decoct.

F 3

bar-

a) SCHULZ von den Krankheiten in Pohlen p. 64.

b) IANIN l. c.

c) HUNDETMARCK diss. de scabie artificiali. 1758.

Lips.



bardanae. His vero non succedentibus in pertinaciori malo inoculetur vel quod brevis, lecto, vestibis aut indusio contagium suscipiatur; sique omnia remedia ista spem eludant, mercurio destruat, & fontanellis recompensetur malum.

§. L. *Cura caeterarum Ophthalmiarum siccarum chronicarum.*

Cæterum in omnibus aliis Ophthalmiis potissimum ad causam respiciendum & eâ remota oculus roborandus est. Ita sanatur Ophthalmia ex trichiasi, si pili evellantur, vermes ejiciantur, ulcera & fontanellæ chronicæ consolidatæ reparentur, transpiratio suppressa restituatur, stases obstructions chronicæ in præcordiis resolvantur & evacuentur, & ulcera corneæ vel palpebrarum exsiccentur. Callositas palpebrarum resolvitur cataplasmate ex cicuta lacte decocta sæpe tepide oculo applicato & interno camphoræ usu prout expertus est cel. PLENCK, & herpeti medetur aqua sulphurina IANINI cum internis purificantibus-Ophthalmias senum causatas ex laboriosa alvi excretionem incurabiles censeo.

§. LI.



§. LI. *Altera Ophthalmiæ chronica species seu purulenta.*

Cognoscitur illa potissimum ex sebo copioso crasso palpebrarum margines obducente conjuncta tamen etiam aliis Ophthalmiæ symptomatibus, optimeque sanatur infallibili reperto remedio unguento inquam de mercurio præc. rubr. quo optimo cum successu sæpissime usus est cel. THEDEN *a)* quodque non satis efferre potest etiam cel. RICHTER.

§. LII. *Lippitudo seu epiphora chronica.*

Explicatur lippitudo per effluxum involuntarium lacrymarum serosarum copiosum sine dolore, pruritu & calore minus in lippitudine ex debilitate oculi topica nata, & plus in lippitudine ex acrimoniis humorum notabili. Quum ea plerumque ex humorum impuritate, arthritica vel alia quacunquē oriatur, conveniunt setacea, fonticuli *b)*, sanguinem depurantia, purgantia & obvolventia. Egregium remedium causticum mitius Londinense synapismi forma post aures applicatum,
ut

a) THEDEN neue Bemerkungen p. 192. mira eo fecisse annotavit in Ophthalmiis chronicis etiam BOERHAAVE p. 55.

b) SWIETENII comment. T. V. eos recommendat etiam illis ex levissima causa Ophthalmia laborantibus.



ut ulcus efficiat, testatur cel. VOGEL a), & GISLER in fluentibus & suppurantibus oculis cum obscuritate corneæ calomel experientia edoctus recommendat b).

Lippitudo ex debilitate oculi topica poscit revellentia & externe roborantia c).

§. III. *Monita practica.*

In quavis Ophthalmia chronica eo præcipue enitendum est, ut causa prius tollatur, ea enim sublata morbus cedit. Vetus tamen sæpe Ophthalmia sublata causa nulla ratione obedit ob debilitatem oculi, quæ naturam acrimonias ex corpore ad debiliorem partem deponere quasi invitavit. Eo in casu setaceis d), fonticulis, vesicatoriis natura cogatur ad aliam deponere partem humorum impuritates, simulque balneis, antimonialibus, a-
quis

a) VOGEL neue medicinische Bibliothek, T. VI. p. 401.

b) GISLER in den Abhandlungen der Schwedischen Acad. T. 30.

c) Reliquæ lippitudinis causæ, (quæ tamen lippitudinem symptomaticam constituunt) ut en vel ectropium, tumor vel defectus glandulæ lacrymalis, erosio punctorum lacrymalium & palpebrarum, fistula lacrymalis, staphyloma, hydrophthalmia &c. curato morbo primario cedunt; hinc eorum hic nulla mentio fit.

d) PLATTNER institutiones chirurg. rationalis §. 306.




quis mineralibus *a*) & herbis antiscorbuticis purificetur sanguis.

§. LIV.

Et hæc sunt Lector, Benevole, quæ mihi pro virium mearum tenuitate de Ophthalmia dicenda erant. Fateor lubenter me hac dissertatione omnino non adduxisse omnia, quæ dicta jam sunt, vel dici de hac materia adhuc potuissent; ita nec mentionem opii a variis in Ophthalmia ex causa externa orta laudati feci, quum non satis experimentis approbatum sit, nec satis undique ob angustas hujus opusculi limites indicationes nonnullorum remediorum determinare potui. Summe necessaria tamen non omisi. Ardua est materia, morbus frequens, maximi momenti, sæpissime aliorum comes, immo quam plurimum monente jam SAINT-YVESIO fere omnium oculi morborum mater: hinc studui, quantum mihi ætas, vires & temporis ratio faverent, ita describere morbum, ut rei dignitati aliquomodo responderet. Num vero metam mihi propositam & quantum attigerim, discernendum aliis relinquo.

a) KRÜGER Gedanken vom Helmstädtischen Gesundbrunnen.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



33

LBMV Schwerin


004 134 664



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727993152/phys_0097





Patch Reference numbers on UTR

- C1 B1 A1 A2 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
- 10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document



in variolarum decursa
 xu humorum tandem
 onia inflammationem
 ant. Negare vero hoc
 vata virorum doctissi-
 cel. LUDWIGII a) &
 m cel. LUDWIG affe-
 , quibus oculi clausi
 lmiis chronicis vexa-
 olicata essent, hisque
 umentes palpebras la-
 bitus non sit, semper
 aterno pituita reperi-
 thalmiæ variolosæ non
 olarum, sed post duas
 urato morbo, quomo-
 quæ derivabis Oph-
 igitur multum videtur
 fuit nuper cel. RICH-
 agnoscant hæ Oph-
 oculum facta, eæque
 r in variolis malignis,
 efficientibus in stadio
 ratione post morbum
 imis maturo usu.

Quo

ct. Vol 1. P. IV. p. 471.
 ENS. NOVI T. IV.